BLASII IAQVOTII
ICti VESONTINI,

SERENISSIMI LOTHARINGIÆ DVCIS A SECRETIS CONSILIIS ET IN ALMA PONTIMVSSANORVM Academia Iurisprudentiæ Primarij Professoris ac Decani MARS TOGATVS.

Siue de Iure & Iustitia militari.

LIBER PRIMVS.





PONTIMVSSI,
Apud IOANNEM APPIER HANZELET,
Serenis. DVCIS & Academiæ Typog.
ac Sculptorem Iuratum.

1625.



ILLVSTRISSIMO GENEROSSISSIMOQVE PRINCIPI LVDOVICO A LOTHARINGIA, PRINCIPI DE PFALTZ-bourg, Comiti de Boullay, Baroni d'Aspremont, Domino du Neufchastel, Hombourg, Sainct Auolt, Perny, Lauantgarde, Sampigny, Pont sur Meuze.

BLASIVS IAQVOT,

MARTEM TOGATVM.

L. M. D. D.




Ominationis alienæ magnitudinem qui oderunt, timent; PRINCEPS ILLVSTRISSIME; *& quam meruere cladem, degeneri festi-*


natione occupare malunt quàm vanæ sollicitudinis tædium constanti expectatione sustinere; ecce ad Iberici sceptri excidium colligitur atq; exæstuat solius vtinàm Europæ miles; adeò vt in ea tempora seruati simus, queîs Regibus Principibusq; ad securitatem fortasse magis expediat, infirmos esse quàm potentes; vbique arma, vbiq; delectus, nec ambiguo malæ sortis euētu, tot partium stricta concordia ipsum illum quem depressum cupit, extollit hostem; cuius vnius ad iniuriam, quidquid vllibì virium gentiumque est, comparatur: Arduum prorsus ac propè humana vi consilium maius, nec autoribus quidem laudatum suis. cui tamen non essent impares, si factionis suæ aleam subituri, eâ quâ pugnare soles fortitudine, quo vincis animo, niterentur; Et quamquàm nobis fœlici & honorifico prorsus ocio in Academia Pontimussana per te fruentibus, tot tumultuum momenta displiceant; libet tamen in hoc concussi Or-

bis motu tantisper ad bella digredi, & ad Aram tuam Martem colere sed Togatum; istæc tibi Deuotionis, *votiua tabella suspenditur, in qua iuris & armorum, infrequens quidem sed vsu necessarium ac salubre fœdus, sic expressum sic sancitũ erit, vt vnicuique palàm sit, per vitia nostra, non per mores suos, à coniuge Iustitia diuertisse Martem; & Romanæ quondam, nunc Hispanæ gentis, vtrique Orbi suspectam aut inuisam potentiam, non militum robore, sed Iustitiæ ductu, ad tàm inuidiosæ fœlicitatis culmen peruenisse. Absit vero, vt tibi Numinis vtriusque cultori addictissimo, tot casuum gnaro, tot præliorum superstiti, ad exemplum ista vel documentum, tradi putes; sed magis vt intelligas, quidquid veterum Ducum sanxit autoritas, ausa est virtus, adepta fortitudo; illud ipsum te, egregiæ regiæque mentis qua præstas indole, & sciuisse & patrasse prius quã legisse. Quod si pauperis licet tumultuarijq; doni non erit*

ingrata simplicitas, sincera quidem iam, sed verecunda adhuc pietas, sese grandioribus hostijs sublimitati tuæ approbabit.



Rara temporum felicitas est vbi quæ velis sentire & quæ sentias dicere licet.





BLASII IAQVOTII IVRISCONSVLTI VESONTINI

MARS TOGATVS.

Siue de Jure & Iustitia militari.

LIBER PRIMVS.



ORTALIVM vetustissimos, rerum bonorumque communio tranquilla pace vinciebat; sed æqualitatis paulatim subeunte fastidio, innata singulis tàm parendi dedignatio, quã imperandi cupiditas, discordias primùm & odia, deinde cædes, postremò bella excitauit; quibus gerendis, non quidem astu vel solertiâ, sed rudibus adhuc innoxijsq; gentibus, manu

plurimùm opus erat: verùm apud multos priſtinæ concordiæ acri adhuc memoria, deterrimum quemq;, potentum obſequio & atrocium rerum miniſterijs, præmium impunitaſque mancipabat. Nec reliquas gentes proferre lubet, quarum vel obſcura vetuſtas eſt, vel corruptis in miraculum monimẽtis memorata potentia, vix apud poſteros inuenit fidem; cœterùm Populi Romani ſubacto mox Orbe potita virtus, ex ipſis cædibus & latrocinijs tantæ magnitudinis incrementa ſumpſit; ſceleribus ijs mercede propoſitâ, quę poſtmodùm quæſitiſſimis pœnis vltũ iret: perennis enim imperij vafer conditor, magnam ex inopiâ peccandi neceſſitatem eſſe ratus, quidquid vbique exulum prædonumque foret, vel terrore trahit, vel calliditate conciliat; oſtentat opes, ignauam pacem

exprobrat ac periculosam; arma suggerit, largitur equos, & pristinæ humilitatis admonitis, vnum ex bello decus, certam securitatem pollicetur; sic erectis ad speciosa promissa mentibus, & facinorosorum hominũ vndequáque gliscente copiâ, direpti agri, abacti greges, expilatæ domus; & libidinis egregio commento, quasi quærendæ soboli rapta coniugia: donec vi ferroq; perdomitum, quidquid longinquos intra fines latius excursuræ dominationi obstare posset. Verùm quia militaribus animis laxatam semel peccandi libertatem, vix inter arma rursùm cohibeas; dùm partâ prædâ magnisque successibus ferox miles contumaciam induit, & semel quæsitis tutè insistere, quàm nouas & maiores opes, per ambigua cumulare mauult; insigni temperamẽto Romulus cauit, ne in lasciuiam

transiret impunitas, vel arbitrio suo permissus anteà miles, ad obsequij contemptum datâ licentiâ vteretur; quippe ad corporis sui regijque fastigij custodiam electis ijs, quorum fides & audacia eminebat; quasi sine ipsorum ope dignitatem suam tueri non posset, ad omne prorsus imperium paratissimos habuit, publicæ nequitiæ prius socios, mox vindices. Queîs artibus reliquæ multitudinis imminutę vires, repressa audacia; nec regiæ tantùm securitati, sed & priuatæ prouisum fuit; insitâ nocentibus naturâ, prauitatis suæ fautores aut dominos, palàm colere; cœterûm mutationis aut pœnarum metu, secretis odijs periculisque lacessere: igitur ne tot impunitis reis, recenti iugo infensas gentes cupido defectionis accenderet, ad pompam magis quàm vltionem latæ leges; quibus militum

non tam vetita flagitia, quàm definita; nec id publicè cautum fuit ne quis peccaret, sed palàm factum quid peccare posset; cum tamen eludendis sanctionibus iam sufficeret delinquentiũ militum erudita calliditas; ac pessimi quique sibi permissum vellent, quod fieri quidem non licebat, minimè tamen vetabatur; Legislatoris solertiam auxere fraudes; nec iàm solâ præteritorum scelerum emendatione cõtenta seueritas, futuris etiam occurrebat: quinimò præceps adeò est malè ad agendum mortalis animus, vt nocentum audaciam pœna prouocaret, & ipsæ per se destructæ leges, admitti posse flagitia docerent dum vetabãt; quarum asserendæ autoritati placuit custodes vltoresque adijci magistratus, & militum petulãtiam securi primùm, dein gladio, per Tribunum Celerum vindicari; ex quo iàm assue-

tis ad praua mentibus, non tàm innocentiæ allatus amor eſt, quàm vitiorum metus iniectus; quorum augendis ſupplicijs, magiſtratuum intenſus rigor, virtutum præmia ſæpè præteribat; inde vnius eiuſdemq; doli executio multiplex, ac ſemel lapſis, non ſemel irrogata pœna; neq; in reorum corpus atque famam, ex delicti magnitudine, ſed contemptu legis animaduerſum; inde Tarpeia rupe deiecta deuolutaque proditio; inde pernicibus & in contrariam fugam actis equis diſcerpta perfidia; & damno capitis violati muri crimen expiatum: inde templorum religioni, portarum vallique caſtrenſis æquata veneratio, & ab ipſis legũ latoribus, rigido quidem exemplo, ſed ſalubri, exacta pœna: nam exilem adhuc & vix extra foſſam eminentẽ murum, tranſilienti Remo, vltimam neceſſitatem per

Tribunum Celerum frater denũciat, nec cõmuni iure latarum legum violatorem pati potest, quem imperij socium laturus erat; & quamquàm truci facinore materni lactis vix ante creditam feritatẽ nimis proderet, tamen retinendæ vel inducendæ castrorum modestiæ prorsus insigne commentum fuit, ex fraterno supplicio seueritatis & iustitiæ captare laudem; vt legum vindictam in ipso fratre executus, alienis precibus ac delictis clausus & inexorabilis crederetur. Nec ideo patratam cædem execrata posteritas, publicis fastis abrasum Romulũ, æternitatis vsu memoriáue prohibuit; sed tanquam reum damnare fratrem, plusquàm humanæ constantiæ opus esset, religiosæ plebis insana vota cœlo intulerunt. Impiæ quoque consecrationi sequentium Regum consensit adulatio; non quod indi-

gnissimi criminis probaretur atrocitas, sed fastigium suum pari sæuitiâ tuituris placuit exemplum quod sequi possent. Nisi quod necdùm satis castigatũ militem repressumque populum Numa suspicatus, humanis remedijs superûm terrorem & minas addidit; plusque apud expertes religionis animos ad emendandam disciplinam profuit futurorum suppliciorum incertus pauor, quàm præsentium pœnarum iam cognita magnitudo: adeò illicitorum cupido præualet, vt probatæ castigationis frequenti vsu irritetur improbitas, nec benè ad agendum puniri necesse sit, sed timere. Quod si iam vergenti effœtoque Numæ mortalitatem fata produxissent, cessantibus armis, & diuinitatis metu perculsâ militiâ, bellatori populo pristina forsã mortalium integritas restituta foret; verũ accẽsis

iterùm ſub Anco Tullioque Rege ad bella mentibus, & pietatis abſcedente cultu, ijſdē quibus antea cœperat artibus, fatale gentibus imperium proferri neceſſe fuit; quodque redeuntibus malis validum prorſus incrementum erat, vrbano velut ocio refecta nequitia, omiſſis diu ſceleribus auidiùs inſtitit, & religioſa pace fractum militem, non edictorum ſeueritas, ſed præmiorum expectatio ad repetenda bella permouebat; vnde impoſterùm plùs licentiæ, minùs pœnarum; quia ſecuti Reges, producendis imperij finibus quam purgandis moribus magis attenti, quaſi regiæ auaritiæ cupiditatibus addictas animas ad priuatā vltionem aut querelam perdere inhumanum eſſet, delicta militum publicæ neceſſitatis obtentu excuſabant: corruptiſſimæ tamen diſciplinæ imago quædam iuſtitiæ & ſanctitatis ine-

rat, dùm vnius capitis piaculari supplicio noxa publica lueretur; vel reliquis sceleribus omissis, spretæ maiestatis vnicum crimen magistratuum cognitioni subiaceret: Prætetea longo rerum vsu, Anci Tullijque Regis edocta dominatio, militari quidem ferociæ aduersabatur, nec tamen vlcisci prõptũ erat; ne regias sanctiones supergressa malitia, per ipsa supplicia cresceret, ac insigni pernicie, nocentum criminibus, potentia Regum impar crederetur: quâ ex causâ sicut ipsius Romuli placita, successorum inuidia vel contemptus aboleuit, neque ex ipsius decretis vllũ aliud, quam fraternæ cædis executio placuit: sic & ipsi coërcitis tantùm ex arbitrio vel occasione militibus, censuram apud posteros aut abrogationem veriti, sequentium temporum vano metu, sæculi sui moribus defuerunt: vel quia

penès ipsos condendæ legis erat autoritas, proprijs tamen parere iussis infrà magnitudinem suam rati, paucas edidere sanctiones, ne tanquam faciles aut iniquas, miles & populus ideò reijceret, quòd autoribus suis displicerent. Cùm enim præcipua in legis latere virtus & solertia sit, plebis temporumque genio aptare leges; nemo expetitum à subditis obsequium promptius referat, quàm qui dati à se iuris æquitatem, vel hoc solo satis approbat & tuetur, quia ipse paret, nec muneris sui vim & autoritatem præceptis asserit sed exemplis. Ideò primores apud Reges castrensis continentiæ sollicitudo leuis aut nulla fuit; quia non opibus non autoritate freti, satis à se spretisque mandatis obstringere militem vix auderent, cuius rapinis & licentiâ ad stabiliendam augendamque maiestatem indigebant.

transiret impunitas, vel arbitrio suo permissus anteà miles, ad obsequij contemptum datâ licentiâ vteretur; quippe ad corporis sui regijque fastigij custodiam electis ijs, quorum fides & audacia eminebat; quasi sine ipsorum ope dignitatem suam tueri non posset, ad omne prorsus imperium paratissimos habuit, publicæ nequitiæ prius socios, mox vindices. Queîs artibus reliquæ multitudinis imminutę vires, repressa audacia; nec regiæ tantùm securitati, sed & priuatæ prouisum fuit; insitâ nocentibus naturâ, prauitatis suæ fautores aut dominos, palàm colere; cœterûm mutationis aut pœnarum metu, secretis odijs periculisque lacessere: igitur ne tot impunitis reis, recenti iugo infensas gentes cupido defectionis accenderet, ad pompam magis quàm vltionem latæ leges; quibus militum

non tam vetita flagitia, quàm definita; nec id publicè cautum fuit ne quis peccaret, sed palàm factum quid peccare posset; cum tamen eludendis sanctionibus iam sufficeret delinquentiũ militum erudita calliditas; ac pessimi quique sibi permissum vellent, quod fieri quidem non licebat, minimè tamen vetabatur; Legislatoris solertiam auxere fraudes; nec iàm solâ præteritorum scelerum emendatione cõtenta seueritas, futuris etiam occurrebat: quinimò præceps adeò est malè ad agendum mortalis animus, vt nocentum audaciam pœna prouocaret, & ipsæ per se destructæ leges, admitti posse flagitia docerent dum vetabãt; quarum asserendæ autoritati placuit custodes vltoresque adijci magistratus, & militum petulãtiam securi primùm, dein gladio, per Tribunum Celerum vindicari; ex quo iàm assue-

tis ad praua mentibus, non tàm innocentiæ allatus amor eſt, quàm vitiorum metus iniectus; quorum augendis ſupplicijs, magiſtratuum intenſus rigor, virtutum præmia ſæpè præteribat; inde vnius eiuſdemq; doli executio multiplex, ac ſemel lapſis, non ſemel irrogata pœna; neq; in reorum corpus atque famam, ex delicti magnitudine, ſed contemptu legis animaduerſum; inde Tarpeia rupe deiecta deuolutaque proditio; inde pernicibus & in contrariam fugam actis equis diſcerpta perfidia; & damno capitis violati muri crimen expiatum: inde templorum religioni, portarum vallique caſtrenſis æquata veneratio, & ab ipſis legũ latoribus, rigido quidem exemplo, ſed ſalubri, exacta pœna: nam exilem adhuc & vix extra foſſam eminentẽ murum, tranſilienti Remo, vltimam neceſſitatem per

Tribunum Celerum frater denũciat, nec cõmuni iure latarum legum violatorem pati poteſt, quem imperij ſocium laturus erat; & quamquàm truci facinore materni lactis vix ante creditam feritatẽ nimis proderet, tamen retinendæ vel inducendæ caſtrorum modeſtiæ prorſus inſigne commentum fuit, ex fraterno ſupplicio ſeueritatis & iuſtitiæ captare laudem; vt legum vindictam in ipſo fratre executus, alienis precibus ac delictis clauſus & inexorabilis crederetur. Nec ideo patratam cædem execrata poſteritas, publicis faſtis abraſum Romulũ, æternitatis vſu memoriáue prohibuit; ſed tanquam reum damnare fratrem, pluſquàm humanæ conſtantiæ opus eſſet, religioſæ plebis inſana vota cœlo intulerunt. Impiæ quoque conſecrationi ſequentium Regum conſenſit adulatio; non quod indi-

gnissimi criminis probaretur atrocitas, sed fastigium suum pari sæuitiâ tuituris placuit exemplum quod sequi possent. Nisi quod necdùm satis castigatũ militem repressumque populum Numa suspicatus, humanis remedijs superûm terrorem & minas addidit; plusque apud expertes religionis animos ad emendandam disciplinam profuit futurorum suppliciorum incertus pauor, quàm præsentium pœnarum iam cognita magnitudo: adeò illicitorum cupido præualet, vt probatæ castigationis frequenti vsu irritetur improbitas, nec benè ad agendum puniri necesse sit, sed timere. Quod si iam vergenti effœtoque Numæ mortalitatem fata produxissent, cessantibus armis, & diuinitatis metu perculsâ militiâ, bellatori populo pristina forsã mortalium integritas restituta foret; verũ accẽsis

iterùm ſub Anco Tullioque Rege ad bella mentibus, & pietatis abſcedente cultu, ijſdē quibus antea cœperat artibus, fatale gentibus imperium proferri neceſſe fuit; quodque redeuntibus malis validum prorſus incrementum erat, vrbano velut ocio refecta nequitia, omiſſis diu ſceleribus auidiùs inſtitit, & religioſa pace fractum militem, non edictorum ſeueritas, ſed præmiorum expectatio ad repetenda bella permouebat; vnde impoſterùm plùs licentiæ, minùs pœnarum; quia ſecuti Reges, producendis imperij finibus quam purgandis moribus magis attenti, quaſi regiæ auaritiæ cupiditatibus addictas animas ad priuatā vltionem aut querelam perdere inhumanum eſſet, delicta militum publicæ neceſſitatis obtentu excuſabant: corruptiſſimæ tamen diſciplinæ imago quædam iuſtitiæ & ſanctitatis ine-

rat, dùm vnius capitis piaculari ſupplicio noxa publica lueretur; vel reliquis ſceleribus omiſſis, ſpretæ maieſtatis vnicum crimen magiſtratuum cognitioni ſubiaceret: Prætetea longo rerum vſu, Anci Tullijque Regis edocta dominatio, militari quidem ferociæ aduerſabatur, nec tamen vlciſci prõptũ erat; ne regias ſanctiones ſupergreſſa malitia, per ipſa ſupplicia creſceret, ac inſigni pernicie, nocentum criminibus, potentia Regum impar crederetur: quâ ex causâ ſicut ipſius Romuli placita, ſucceſſorum inuidia vel contemptus aboleuit, neque ex ipſius decretis vllũ aliud, quam fraternæ cædis executio placuit: ſic & ipſi coërcitis tantùm ex arbitrio vel occaſione militibus, cenſuram apud poſteros aut abrogationem veriti, ſequentium temporum vano metu, ſæculi ſui moribus defuerunt: vel quia

penès ipſos condendæ legis erat autoritas, proprijs tamen parere iuſſis infrà magnitudinem ſuam rati, paucas edidere ſanctiones, ne tanquam faciles aut iniquas, miles & populus ideò reijceret, quòd autoribus ſuis diſplicerent. Cùm enim præcipua in legis latere virtus & ſolertia ſit, plebis temporumque genio aptare leges; nemo expetitum à ſubditis obſequium promptius referat, quàm qui dati à ſe iuris æquitatem, vel hoc ſolo ſatis approbat & tuetur, quia ipſe paret, nec muneris ſui vim & autoritatem præceptis aſſerit ſed exemplis. Ideò primores apud Reges caſtrenſis continentiæ ſollicitudo leuis aut nulla fuit; quia non opibus non autoritate freti, ſatis à ſe ſpretiſque mandatis obſtringere militem vix auderent, cuius rapinis & licentiâ ad ſtabiliendam augendamque maieſtatem indigebant.

plurimùm opus erat: verùm apud multos pristinæ concordiæ acri adhuc memoria, deterrimum quemq;, potentum obsequio & atrocium rerum ministerijs, præmium impunitasque mancipabat. Nec reliquas gentes proferre lubet, quarum vel obscura vetustas est, vel corruptis in miraculum monimẽtis memorata potentia, vix apud posteros inuenit fidem; cœterùm Populi Romani subacto mox Orbe potita virtus, ex ipsis cædibus & latrocinijs tantæ magnitudinis incrementa sumpsit; sceleribus ijs mercede propositâ, quę postmodùm quæsitissimis pœnis vsũ iret: perennis enim imperij vafer conditor, magnam ex inopiâ peccandi necessitatem esse ratus, quidquid vbique exulum prædonumque foret, vel terrore trahit, vel calliditate conciliat; ostentat opes, ignauam pacem

exprobrat ac periculosam; arma suggerit, largitur equos, & pristinæ humilitatis admonitis, vnum ex bello decus, certam securitatem pollicetur; sic erectis ad speciosa promissa mentibus, & facinorosorum hominũ vndequáque gliscente copiâ, direpti agri, abacti greges, expilatæ domus; & libidinis egregio commento, quasi quærendæ soboli rapta coniugia: donec vi ferroq; perdomitum, quidquid longinquos intra fines latius excursuræ dominationi obstare posset. Verùm quia militaribus animis laxatam semel peccandi libertatem, vix inter arma rursùm cohibeas; dùm partâ prædâ magnisque successibus ferox miles contumaciam induit, & semel quæsitis tutè insistere, quàm nouas & maiores opes, per ambigua cumulare mauult; insigni temperaméto Romulus cauit, ne in lasciuiam

transiret impunitas, vel arbitrio suo permissus anteà miles, ad obsequij contemptum datâ licentiâ vteretur; quippe ad corporis sui regijque fastigij custodiam electis ijs, quorum fides & audacia eminebat; quasi sine ipsorum ope dignitatem suam tueri non posset, ad omne prorsus imperium paratissimos habuit, publicæ nequitiæ prius socios, mox vindices. Queîs artibus reliquæ multitudinis imminutę vires, repressa audacia; nec regiæ tantùm securitati, sed & priuatæ prouisum fuit; insitâ nocentibus naturâ, prauitatis suæ fautores aut dominos, palàm colere; cœterûm mutationis aut pœnarum metu, secretis odijs periculisque lacessere: igitur ne tot impunitis reis, recenti iugo infensas gentes cupido defectionis accenderet, ad pompam magis quàm vltionem latæ leges; quibus militum

non tam vetita flagitia, quàm definita; nec id publicè cautum fuit ne quis peccaret, sed palàm factum quid peccare posset; cum tamen eludendis sanctionibus iam sufficeret delinquentiũ militum erudita calliditas; ac pessimi quique sibi permissum vellent, quod fieri quidem non licebat, minimè tamen vetabatur; Legislatoris solertiam auxere fraudes; nec iàm solâ præteritorum scelerum emendatione cõtenta seueritas, futuris etiam occurrebat: quinimò præceps adeò est malè ad agendum mortalis animus, vt nocentum audaciam pœna prouocaret, & ipsæ per se destructæ leges, admitti posse flagitia docerent dum vetabãt; quarum asserendæ autoritati placuit custodes vltoresque adijci magistratus, & militum petulãtiam securi primùm, dein gladio, per Tribunum Celerum vindicari; ex quo iàm assue-

tis ad praua mentibus, non tàm innocentiæ allatus amor eſt, quàm vitiorum metus iniectus; quorum augendis ſupplicijs, magiſtratuum intenſus rigor, virtutum præmia ſæpè præteribat; inde vnius eiuſdemq; doli executio multiplex, ac ſemel lapſis, non ſemel irrogata pœna; neq; in reorum corpus atque famam, ex delicti magnitudine, ſed contemptu legis animaduerſum; inde Tarpeia rupe deiecta deuolutaque proditio; inde pernicibus & in contrariam fugam actis equis diſcerpta perfidia; & damno capitis violati muri crimen expiatum: inde templorum religioni, portarum vallique caſtrenſis æquata veneratio, & ab ipſis legũ latoribus, rigido quidem exemplo, ſed ſalubri, exacta pœna: nam exilem adhuc & vix extra foſſam eminentẽ murum, tranſilienti Remo, vltimam neceſſitatem per

Tribunum Celerum frater denũciat, nec cõmuni iure latarum legum violatorem pati poteſt, quem imperij ſocium laturus erat; & quamquàm truci facinore materni lactis vix ante creditam feritatẽ nimis proderet, tamen retinendæ vel inducendæ caſtrorum modeſtiæ prorſus inſigne commentum fuit, ex fraterno ſupplicio ſeueritatis & iuſtitiæ captare laudem; vt legum vindictam in ipſo fratre executus, alienis precibus ac delictis clauſus & inexorabilis crederetur. Nec ideo patratam cædem execrata poſteritas, publicis faſtis abraſum Romulũ, æternitatis vſu memoriáue prohibuit; ſed tanquam reum damnare fratrem, pluſquàm humanæ conſtantiæ opus eſſet, religioſæ plebis inſana vota cœlo intulerunt. Impiæ quoque conſecrationi ſequentium Regum conſenſit adulatio; non quod indi-

gnissimi criminis probaretur atrocitas, sed fastigium suum pari sæuitiâ tuituris placuit exemplum quod sequi possent. Nisi quod necdùm satis castigatũ militem repressumque populum Numa suspicatus, humanis remedijs superûm terrorem & minas addidit; plusque apud expertes religionis animos ad emendandam disciplinam profuit futurorum suppliciorum incertus pauor, quàm præsentium pœnarum iam cognita magnitudo: adeò illicitorum cupido præualet, vt probatæ castigationis frequenti vsu irritetur improbitas, nec benè ad agendum puniri necesse sit, sed timere. Quod si iam vergenti effœtoque Numæ mortalitatem fata produxissent, cessantibus armis, & diuinitatis metu perculsâ militiâ, bellatori populo pristina forsã mortalium integritas restituta foret; verũ accẽsis

iterùm ſub Anco Tullioque Rege ad bella mentibus, & pietatis abſcedente cultu, ijſdẽ quibus antea cœperat artibus, fatale gentibus imperium proferri neceſſe fuit; quodque redeuntibus malis validum prorſus incrementum erat, vrbano velut ocio refecta nequitia, omiſſis diu ſceleribus auidiùs inſtitit, & religioſa pace fractum militem, non edictorum ſeueritas, ſed præmiorum expectatio ad repetenda bella permouebat; vnde impoſterùm plùs licentiæ, minùs pœnarum; quia ſecuti Reges, producendis imperij finibus quam purgandis moribus magis attenti, quaſi regiæ auaritiæ cupiditatibus addictas animas ad priuatã vltionem aut querelam perdere inhumanum eſſet, delicta militum publicæ neceſſitatis obtentu excuſabant: corruptiſſimæ tamen diſciplinæ imago quædam iuſtitiæ & ſanctitatis ine-

rat, dùm vnius capitis piaculari ſupplicio noxa publica lueretur; vel reliquis ſceleribus omiſſis, ſpretæ maieſtatis vnicum crimen magiſtratuum cognitioni ſubiaceret: Prætetea longo rerum vſu, Anci Tullijque Regis edocta dominatio, militari quidem ferociæ aduerſabatur, nec tamen vlciſci prõptũ erat; ne regias ſanctiones ſupergreſſa malitia, per ipſa ſupplicia creſceret, ac inſigni pernicie, nocentum criminibus, potentia Regum impar crederetur: quâ ex causâ ſicut ipſius Romuli placita, ſucceſſorum inuidia vel contemptus aboleuit, neque ex ipſius decretis vllũ aliud, quam fraternæ cædis executio placuit: ſic & ipſi coërcitis tantùm ex arbitrio vel occaſione militibus, cenſuram apud poſteros aut abrogationem veriti, ſequentium temporum vano metu, ſæculi ſui moribus defuerunt: vel quia

penès ipſos condendæ legis erat autoritas, proprijs tamen parere iuſſis infrà magnitudinem ſuam rati, paucas edidere ſanctiones, ne tanquam faciles aut iniquas, miles & populus ideò reijceret, quòd autoribus ſuis diſplicerent. Cùm enim præcipua in legis latere virtus & ſolertia ſit, plebis temporumque genio aptare leges; nemo expetitum à ſubditis obſequium promptius referat, quàm qui dati à ſe iuris æquitatem, vel hoc ſolo ſatis approbat & tuetur, quia ipſe paret, nec muneris ſui vim & autoritatem præceptis aſſerit ſed exemplis. Ideò primores apud Reges caſtrenſis continentiæ ſollicitudo leuis aut nulla fuit; quia non opibus non autoritate freti, ſatis à ſe ſpretiſque mandatis obſtringere militem vix auderent, cuius rapinis & licentiâ ad ſtabiliendam augendamque maieſtatem indigebant.

Quare perenni acclamatione decorá-dam Seruij Tullij memoriam censuerim, quod regium contra morem mala dominationis exempla insectatus edixerit, promulgatis ad commune bonum legibus, pari Principes cũ priuatis nexu obligari: qua moderatione consecutus est, quod in summâ fortunâ rarissimum beatissimumque esse solet, non timeri sed diligi, & solius humanitatis artibus reuerentiam impetrare. Nec verò militiæ munia manipulares inter numeros obeunti difficile fuit, luxu & libertate lasciuientem exercitum disciplinâ castigatiore constringere, postquàm vsu probatum est, laborum operarumque consortio vitæ castrensis asperitatem mitescere; & exercitos inter milites, remisso quietoque duci amorem semper obsequiumque defuisse: cõpositis tàm insigni temperamento

& æqualitate legibus obſequi; ſeruientes apud populos pars maxima libertatis erat; quia veteris intra iuſtitiæ limites reductâ militiâ, recentiũ dominorum imperium placidè ferebant debellatæ gentes, cùm viribus armiſque validior vbique virtus eſſet, aut ſeruitutis duriciem æqua inter victores moderatio temperaret. Sed iàm tùm florenti armis iuſtitiaque populo, diuturnam felicitatem fatum inuidit, peremptáque cùm optimo Rege diſciplinâ, Tarquiniorum ad arbitrium atq; libidinem rediere mores. Vnde turpiũ dominorum æmulo vel fautore milite, ex veterum præſentiumque temporum comparatione factum eſt, vt regiæ dominationi praua quæque agendi vis & neceſſitas inſita crederetur, nec Regum tantùm honos, ſed antea ſacrum militi gentibuſque nomen, manſuro in poſteros

odio exularet. Neque Reges tantùm ſed regia quoque flagitia, iratæ plebis expuliſſet offenſio, ſi Lucij Bruti conſularis tantùm & libertati propior dignitas, plures in annos propagata foret: verùm multis ſæculis militum ciuiumque roborata prauitas, fortior erat, quàm vt vnius anni mandatâ potius quàm propriâ iuriſdictione expugnari poſſet: longâ quippè conſuetudine adulta flagitia ſubitæ aſperitatis impetus non reuellit; ſed ſenſim & quaſi minutis ictibus amputantur; cumque vocatis ad tribunal conſulare nocentibus, prouocationis effugium ſubueniret, neque ab ipſo Conſule, capitalium criminum manifeſti rei, populi iniuſſu ritè damnarentur; delictis militaribus eadem quæ ſub Regibus patebat impunitas, quorum coercitionem, iudicum mutatio, & ſemper mitior populus eludebat: à

quo non virgarum tantùm ſed ſecurium, in patriciæ ſtirpis homines trãſmiſſam poteſtatem, ne vſus autoritaſue præriperet, decreta Conſulum reſcindi moris fuit; atque ita non ex æquitate ſed ambitu diuiſis inter ſe magiſtratibus elapſi rei; aut ciuili militarique culpa quidquid factum eſſet, inter infenſos vel obnoxios, pari arbitrio in maius auctum aut imminutum. Tot militum ciuiumque exturbandæ inſaniæ ſufficere poterat regio culmini ęquata Dictatura; ſed & ipſa, conſulari poteſtate breuior quia auguſtior, ſcelerum cognitione abſtinuit, vltimis tantùm Reipub. caſibus impedita. Creatis enim ad belli paciſque regimen Decemuiris, tanto fœdior labes inuri debet, quòd cõſcientiæ pudore victi quæ ipſi flagitia patrabant, à militibus ciuibuſque committi nollent; ſed melioris diſciplinæ

vinculis, propriâ tantùm ſponte exoluti, accitis à ſe compoſitíſque duodecim Tabularum legibus, in alios tantùm vterentur. Cumque tot probris infami Collegio, per immunitatem pœnarum, virtutis & innocentię famam adſtrui vellent, diſſimulatis ſingulorum collegarum criminibus, peſſumdedêre vniuerſos; & conſulari rurſus imperio, magiſtris militum vitæ neciſque data cognitio, remediorum vt vitiorum copiâ laboráti Reip. alios potius induxit homines, quàm alios mores. Nam etſi ſolito ambitionis ingenio, claris primordijs nouum inſignire magiſtratum, flagrantiſſimè cuperent, & recentibus integritatis exemplis, abdicatorum Decemuirûm damnare memoriam, repentino rigori longo vſu munitum ſcelus obſtitit, neue caſtrenſis magiſtratus autoritas quanquàm flagitio-

ſum militem rigidius emendaret, morum & ſtatus ſimilitudo impediuit. Ac veluti duriorem in damnatos animaduerſionem cognationis affectu impunè mulceas aut recuſes, ſic ijſdẽ ſtudijs coniuncto reo, legum remiſſa ſeueritas excuſatur: nihilo ſecius à militari magiſtratu mitigatas militum pœnas & vim tribunitiá peroſa Reſp. nulláque jam nouitate mutabilis, armorum paciſque proiectâ curâ, præterita ſic oderat, ſic præſentibus offẽdebatur, vt futuris quoque diffideret. Inuiſi per libidinem Reges; breuis anguſtaque Dictatura; plebis ambitione Conſul imminutus, impotentes Decemuiri, procaces Tribuni, nulli denique non, probati exactique magiſtratus, melioris peioriſque ſtatus expectationem ademerant; totque naufragijs lacerata nauis, quemcumque rectorẽ quaſcunq; terras expete-

bat. Quãquàm in tanta rerum ac disciplinæ vertigine, toties conuulsa vel mutata Ciuitas, vidit aliquid quod probare posset; proprijs iussis pari cũ populo facilitate Reges obsequentes; viuidum cõtra factiones consulare robur; modestos in sũmo imperio magistratus; dãnatorum plagis cruentas virgas; positum gementemque sub gladio militem, nec minùs patricio quã plebeio sanguine imbutam securim. Sed vt annorũ steriliũ cõmunem inopiam non absoluit vnius alicuius agri læta fœcunditas, ita nec perditissimi sæculi latè fusam contagionem raræ virtutes eluebant; quin potius præsentium malorum recrudescebat dolor, & preciosis ipsâ paucitate virtutibus, eorum temporum obuersabatur felicitas, quibus expugnatis vbique vitijs, solæ triumphabant. Domesticam quoque turpitudinẽ pro-

uincialis delebat auſteritas, vt tot iuſtitiæ virtutumque exẽplis domitas liberaſque apud gentes clara Reſp. fato potius quàm culpâ infelix domi videri poſſet. Longinquas enim prouincias ſortitis cum gladij ſecuriſque iure Cõſulibus, acris omnino & prouocationis expers, ad puniendũ militem poteſtas erat; neque conſtitutis ante legibus, ſed rerum euentis & præſenti vſu definita. Vnde impunitatis vrbanæ procul remoto ſubſidio, & ſecuris atque gladij tàm præſentibus vbique pœnis, quàm benefactorum mercede promptâ, par omnium labor, nec ordinibus ſed delictis diſtincta coërcitio, ſpe alacres vel metu trepidos exercitus, intra virtutis & obſequij fines ſeueriſſimè cõtinebat. Atque ita cum militarem vltra perfidiam porrigeretur imperium, & tantùm quiſque lueret, quantùm ad-

miſerat, neq; expreſſo maleficiorum numero, ad faciendam legibus fraudem edoceretur improbitas, omniũ animos diſciplinæ caſtrenſis religio metuſque ſubijt, etiam dum fortiter agerent dubios admodùm ac timentes. Sic compoſita caſtrorum inſtitutione fruſtra quærendum ſit, quæ deſertionem aut fugam pœna ſequeretur, cum ignauiæ vindictam ferret intempeſtiua fortitudo, quam ſeueritatem ipſa delinquentium dignitas intendebat, & quaſi gregariorum militum vulgo, ad contemnendam diſciplinæ vim plus iuris eſſet, nemo plectebatur atrocius, quam qui militare officium indigno facinore polluiſſet. Cum enim rebus geſtis præſtãtium virorum ſupra reliquos emineret autoritas, rectè placebat ijſdem improbè agentibus duriorem imponi mulctam, ne ſummâ virtutis infa-

miâ, ideo viderentur fecisse fortiter, vt illicita postmodùm tutè perpetrarent. Quod etsi tàm emẽdatæ militiæ institutis conueniret, Manlij tamen Consulis impios manes deuouêre lubet, non modo innocentem anteà filium, sed præclaris in Remp. meritis insignem, ad tàm asperæ iustitiæ placita punientis. Vicino & poscẽte pugnã Latinorum exercitu, naturâ manuque munito loco castra metatus edixerat, ne quis extra ordinem vallo egredi, & pugnare vellet. Prudentem Romani ducis cunctationem, & ad iustos impetus maturè proruptúram, insignis equo animoque hostis irridere, circumire vallum, voce manuque prælium expetere; aut è latebris suis prodirent omnes, vel tot inter ignauos, clausosque vallo & fossâ milites, vnus aliquis manu animoque promptior, singulari certamine futuri

conflictus omen approbaret. Stolidi prouocatoris audaciæ obuiã iturum Manlium, hinc paterna iussa retinent, inde stimulat Romanæ Pubis lectissimo exercitui vecordiæ crimen exprobratum; disciplinæ tamen reuerẽtiam fortitudo vincit, vetitâque in cõmune pugnâ singulos haud prohiberi, gratissimo errore persuadet. Tumidum itaque & insultantem adhuc aggressus hostem, decoris vtrique vulneribus, incruentus ipse conficit, torquem & baltheum luctuosæ victoriæ ornamenta refert. Populi Commilitonumq; assertori gratulatur exercitus; Centuriones ac Tribuni gratias agunt, & glorioso ab euentu futuræ pugnæ felicitatem augurantur. Sed exploratis è stationibus reuerso patri alius animus, alia facies; irâ & miseratione turbidus, minis ictibusque correpto filio contumaciæ diem dicit;

victis ac desertoribus destinatam pœnam illaturus. Expende Manli quid tibi famæ, quid inuidiæ apud Populum & posteros plusquàm castrensi seueritate paratum eas; fortiter feliciterque pugnauit filius, cui fortitudinis exempla præbuisti; vindicem te timere poterat nisi certauisset; virtuti tuæ infensus es quã in filio castigari iubes; vel certè populo, cuius existimatio & decus, in hoc cãpo vindicatur; frustra cõtumaciæ crimen obijcis in hostem nõ eunti, sed prouocato; si iubente te instructis ordinibus in hostes vniuersos impetum facere decorum erat, honestius fuerit singulari pugnâ nec à te vetitâ dimicasse. Cõfertim præliantes æmulatio & necessitas exstimulat, hoc certaminis genere nuda inermisque virtus à seipsâ robur accipit, relatum decus non fortunæ, non exemplo, sed sibi tantùm

debitura. In hostem iri nisi te iubente, ideò vetas, ne aut inconsultâ eruptione periclitetur exercitus, vel minorem cladem accipiat intempestiuè lacessitus hostis; filius tuus vtroque iussu defungitur dùm solus pugnat; vel si legum tuarum saluâ integráque sententiâ, verborum dumtaxat reum mulctari iubes, & pater simul & iudex esse desijsti; quin cœptam potius à filio gloriam perfice, ne ideò forsitan truncari velis, quia tàm insigni facinore territis hostibus, facilem nimis & incruentam victoriam Imperatori tibi reliquerit. Hisce momentis Manlij Consulis nihil inflexa, nihil immutata mẽs, paternæ pietatis sensum abijcit, vt castigatoris immitissimi aduersus filium partes induat, & ignominiosũ ratus quidquid à militibus, nolente duce, gnauiter etiam strenueq; geritur; deligari truncarique man-

dat, tristi exemplo fortè & salubri, sæui parentis potius, quàm exorati ducis electâ famâ. Neque vero expediri securim & lege agi in filium iubenti Manlio, misericordia & atrocitate motum militem, intercessisse credendum sit; magnum vbique silentium; ingens pauor, & obdurati Consulis immisericors animus, preces & questus interceperat, quia periculi non maioris esset interdicta committere, quàm supplicia deprecari. Ego certè sicut tam inclementis imperij tristitiam raró probauerim, ita volens assentior, Romanis olim ducibus ad subigendum terrarum Orbem, non magis virium robur, quàm seueritatis exactæ constãtiam profuisse. Nam cùm fortitudine Galli, robore Germani, constantiâ Iberi, solertia Græci, multitudine Barbari potiores aut pares essent; sequitur vt austeræ disci-

plinæ artibus vincerentur: quæ cum tàm ſagax & ſeuera foret, Romanis tamen plus prædæ quàm gloriæ quæſijſſe videri poſſit: quibus tot pœnas præmiáque expectantibus, non magis fortitudo & virtutis amor, quàm metus atque neceſſitas imperabat. Vel ſi tot Heroïbus ſuum cuique decus ſine ira & ſtudio rependi decet, cœterarum gẽtium pace dixerim, tot bellandi machinas, tot vincẽdi artes, tam ſolertem continendæ militiæ peritiam, ab alio nemine quàm à fortiſſimo omnium populo potuiſſe reperiri. Hoc ipſum enim prorſus ingenitæ immenſæque virtutis argumẽtum eſt, ſibi ipſi inferre vim, nec audaciâ minus quam fortunâ niti, & penſitantis omnia prudentiæ vix ab ipſo metu diſcrepantes curas, honoris ſpe, & ignominiæ timore caſtigare: vel ſi alieno iuſſu ardua molientibus animis

opponitur

opponitur clementię aut impunitatis ęxpectatio, in locum virtutis ſuo ſtimulo deſtitutæ praua ſocordiæ cupido tranſit, & gratior ex timore ſecuritas, quàm ex diſcrimine claritudo; at ſecura pœnæ, certa præmij, & fœdæ vel honeſtæ mortis in confinio conſtituta virtus, omnem aduocare fiduciam, robur omne colligere, & deſtinatis laudabiliter immori, vel ſupereſſe conſueuit. His præceptis imbutos, hac formatos inſtitutione, milites, ab illicitis per timorem auertere, vel ad egregia quæque facta, mercede cohortari, ſuperuacui laboris erat; diuturno quippe virtutis vſu, ſicuti pœnarum immunes, ita gloriæ decora ſtipendiaque conſecuti, ſpōte iam & ſuomet ingenio ea quoque perficiebant, ex quibus nullum compendium, ſed obſequij nomen inane peteretur; pertinaci labore tranſlata

ab ijs vel hausta flumina; durissimi silicis excisæ rupes; iactæ in profundum moles; & ad imarum vallium humilitatem depressa montium iuga; acris adeò in fortissimis pectoribus, vehemẽtisque gloriæ flagrabat amor, vt nihil profuturis operibus exercerentur, quò necessaria explere possét. Horum itaque victorijs expugnata primùm Italia, longiùs ituræ virtuti stipendiarias suffecit opes; horum armis domita Græcia, excisa Corinthus, artium amœnitatem & lautitiam, victoriæ decora, sed instrumenta luxuriæ, sobriæ adhuc Vrbi intulerunt. His pugnantibus Marcellus æstuat; intra vallum clausis Fabius cũctatur, nec temerarij laboris aut ignaui otij exquisitâ causâ, pari obsequio & præliantur & quiescunt: his commilitonibus Scipionũ adulta fortitudo æmulę Carthaginis spiritus opprimit,

euertit opes; horum manibus post ferales Cannas & Romano sanguine auctum Ticinum ab Vrbe atq; Italiâ eâ virtute pulsus Hannibal, quæ nec depressa cladibus, nec erecta prosperis, istis ad moderationem, illis ad spem & vindictam vteretur; his bellantibus Macedoniæ atque Asiæ victi vinctique Reges sortis humanæ ludibrijs victorem populum oblectabant; illorum operâ exhaustus Oriens & tot ante Regum sumptibus atque lautitiæ sat magnæ opes, Pompeij cupidinem & priuatos penates vix impleuerunt: nec aliorum militum subsidio Dictator Cæsar eidem Pompeio Magni cognomen eripit, & decēnali gloriâ Populo Romano vel sibi vendicat, quidquid terrarum intra Pyrenæi Alpiumque claustra porrigitur; vel adiacentis Oceani ambitus circumfundit: vnica tantæ virtuti

trecentos per annos Hiſpania, variè victrix aut victa reſtitit, donec tot mulctata ciuitatibus, & attrita non oppreſſa bellis, tædio potiùs quàm iuſto metu in cõmunem ſeruitutem conſentiret. Ac vt maximè ex vetere maiorũ inſtituto, vel nouis ab occaſione legibus pleræque artes repertæ forent, quibus de Rep. benè merentium animus laborum periculorumque diuturnæ patientiæ aſſueſceret, fouendæ tamen firmandæq; militum fortitudini præcipuum incitamẽtum fuit, quòd exutarum gentium opes, agros, familiam, fiſci vel ærarij non abſorbebat auiditas; ſed inter Duces atq; militem ſociatam gloriam quęſitæ prædæ iuſta diuiſio cumulabat; partiebantur quas ſubegerant terras, & pro Rep. moriebantur fortiſſimè, quia ex Rep. viuerent, ac paupertatis ab iniurijs ſecuræ ſoboli, vnam armo-

rum bellorumque curam transmittebant. Neque patrimonio tantùm per agrorum partitionem, sed honori & gloriæ, collatis militiæ muneribus, consulebatur; capessendis enim ordinibus neminem ambitio vel potētia, neminem sola natalium claritas, vel Ducum Præfectorumque studia adiuuabant: is potentissimus erat qui fortissimus, & ad obtinendum in cōmilitones imperium satis erat, bene anteà paruisse; nemo veteranorum debitâ sibi dignitate tyrones frui conquerebatur; nulli sua nouitas aut prçmaturè accepti muneris imperitia exprobrata. Legitimis enim temporibus atque stipendijs probata virtus, facilè inueniebat obsequium quod priùs ipsa præstiterat, & certissimi vt laborum sic honorum gradus, querelarū inuidiam submouebant; benemeritis & fortitudine censebatur nobilitas,

& ad obtinenda militiæ munia hoc solùm proderat gentile decus, quod necessitatem faceret æmulandi. Non ambitu aut lõga petitione quisquam vacuos ordines obtinuit, qui iampridem debiti, iãpridem designati, non peti solebant sed præstari; sæpius etiam in vnam eamdemque dignitatem plurium simul conspirante militiâ, cum tot meritis Resp. non sufficeret, fortunæ & sortis ex arbitrio, virtutem ornari necesse fuit, aut voto suo minimè potitos competitores, spe promissisque compescere, quamquàm ad egregia quæque institutis hoc satis erat, si meruisse dicerentur. Neque tamen publicæ pollicitationis fidem, expectatio longa protrahebat; cùm interim onerum vacatio, & rei familiaris immunitas, dilatæ mercedis moram liberali repræsentatione pensaret; vel ad capessenda in Vrbe

munera; honestâ missione soluerentur. Si quos enim iusto vel tempestiuo præmio prosequi, militari fisco non vacaret, ijs à sago ad togam, ab armis ad pacem transituris, extra comitiorum aleam patebant vrbanæ dignitates, quia bellicas attigissent; cumque ideo tantùm forẽsia munera nullus ambiret, vt castrensibus fungeretur, sic rem militarem professis, vnicum periculorum leuamentum, vna laborum merces erat, in foro pręcellere, in senatu promoueri. Nec trophæa Cimbrica Marius, sed quintum Consulatum victoriæ suæ legitimum pretium putat, & Minturnensium paludum infamem latebram, ac precariæ vitæ miseram famem tanti esse duxit, vt septimum quoque obtinere posset. Quod si ad ignominiæ vindictam properanti, vltionis aut septimorum fascium electionem fortuna

obtulisset, spretis inimicis, Consulatum accepturus erat, quiquidem träsuecto militiæ tempore fessis ac reuersis, ideò summæ ambitionis culmen habebatur, quia mortalis ingenij extrema virtus est militari ferociâ tumentem animum ciuili temperamento posse reprimere; siue quod belli pacisque notitiam quædam constringit affinitas, vt qui castrensem disciplinam æquo iure rexit, idem & ciuilem pari moderatione tractare possit. An militarium animorum summas spes & ingentes ausus, tranquillitas vrbana frangit aut detegit; & ex ciuilium rerum intento remissoue studio dignosci solet quantùm quietem publicam post arma diligat, qui & priuatam ferre potest. An ideo quoque longæ militiæ tædijs exoluta mens in ocio forensi præmijs omnibus solatium maius inuenit, quia

nihil imminutam gloriam securitas in sicco collocat, & tempestatis alienæ iam vitata pericula è littore & portu iucundo quodam horrore prospectat An denique ciuilium certaminum iurgijs imago quædam audaciæ castrensis exprimitur, dum aduersis vtrimque factionibus & velut mutuis eloquentiæ telis alienas opes, famam, vitam, maiore industriâ, nec minore discrimine, vel lacessere promptum est, vel tueri? Sed quocumque tandem consilio, militari gloriâ florentes viros tot opibus honoribusque donauerit Romana calliditas, hoc saltem adepta est ne publicis necessitatibus deesse possent; quibus, Reip. obuia semper humanitas, in castris imperia, in vrbe munera conferebat. Atque vt inter inæquales seruaretur æqualitas, & virtuti tantum, non potentiæ vel nobilitati lo-

cus esset, competitores inter patritios gregarijs caligatisque militibus, ad dignitatum fastigium ascensus erat, sæpius expertis non ingentia modò facinora, sed tenues operas, ad Reip. sollicitudinem pertinere; hostium copias & ordinem, castrorum situm, & munimenta diligentiùs indagãtes, vel ciuitatis obsessæ murum trãsgressos, aut seruato commilitone reduces, murali, ciuicâ, exploratoriâ coronâ insigniri palàm, solenne fuit, siue ad ornatum virtutis, siue ad rei familiaris incrementum; cui tamen augendæ sufficere poterat stipendiorum sæpe duplicata pręstatio; quibus ne in summa quidem Reip. penuria, arma gratuita, suppeditatas vestes, diuturniq; victus impendia, fiscus militaris imputabat. Neque enim fœdissimâ hodiernæ militiæ labe, dilatum negatumue emeritũ pręda & rapinis sarci-

re licuit, aut pecuniam publicam à priuatis domibus extorquere, sed laborum militarium mercedem menstruam tam accurata sedulitas dispensabat, vt imminutis aut in plura subsidia distractis ærarij viribus, solus militum fauor nouis pensionibus prouinciales oneraret. Vetere quoque Rep. cum peregrinus luxus nondum Ciuitate donatus esset, priuatis impensis modus impositus; & Oppijs sumptuarijsque legibus mulierum patritiorumque voluptati ablatum fuit, quod militum necessitas exigebat. Æterna laude dignissimam curam æmulatus Antoninus Cæsar, cùm exoluendo stipendio fiscus impar esset, Augustæ coniugis in scrinijs mundoque muliebri auri & gẽmarum quidquid erat sub hasta decemuirali væniri iussit, regiæ planè venditionis vberem versuram adeptus, postquam

peregrinorum Regum opibus grauis miles, precioſa magis donaria Auguſtæ arculis intuliſſet. Tot congeſtis honoribus tàm liberali ſollicitudine prouectus obſtrictuſque miles, pro Rep. libentiſſimè periclitabatur, ſine qua ſecurus eſſe non poterat; cúmq; mutuæ pactiones, hinc operarum, inde mercedis accederent, ſi quid improſperi contigerat, nec Reip. miles obiecit, nec Reſp. militi, quia dictis conuentionibus optima fide vterque paruiſſet. Vnde munificentiæ publicę paulatim procedente reuerentia, gratuitam ſinceráque fidem exhibebant. Nec iam videbantur ideò militare vt proficerent, ſed profeciſſe quia militarãt. Quid quod effuſis extra ordinem donatiuis acuebatur induſtria, & optimi Duces, fortiſſimi Imperatores, ſæpè maieſtatis hæredibus, bene de ſe meritas legiones nuncupabant, ijſ-

que donationibus prosequebantur; quæ in commune profusissimæ, viritim singulis plus adijcerent, quàm longæ militiæ continuus labor attulisset. Quid torques, quid armillas, baltheosue subijciam, vel quæ alia decorandæ virtuti & locupletando patrimonio dona reperta sunt, nisi vt liqueat hoc sæculo belligerantium ducum vel miserrimam penuriam vel indignissimas esse sordes; apud quos cùm seruilibus supplicijs torqueatur ignauia, stipem vix inuenit infelix & mendica fortitudo. Tam certâ igitur largáque stipendiorum castrensium diuisione, admissa militum dissimulare nō cogebatur Resp. Nec defectionis emansionisue crimen salarij prorogatio, vel militaris annonæ penuria excusabat; sed culpam quisque suam tantò luebat acerbiùs quia victu & ære menstruo nunquam destitu-

tus,imò datis extra ordinem auctisq; præmijs, nihil habebat quod opponere coërcitioni, vel in publicum retorquere posset. At sicuti priscorum militum incitandis virtutibus collata munera, inuentos honores grata hilarique mente repeto, sic horret animus plectendę contumaciæ ignauięque constituta supplicia & dedecora intuenti. Quamuis enim seuerissimis quoque legislatoribus placuerit cogitationis pœnam neminem pati, tamen sinceris adhuc moribus, & nondum adductâ disciplinâ perfectum inchoatumque scelus pari iure exequi solenne fuit; nihil à voluntate distinguebatur exitus, sed successus ad fortunam, mens atque consilium ad improbitatem, & spretæ legis irreuerentiam pertinebat; quinimo illicita facere quàm moliri graue minùs fuit. Nam optimum quemque prohibi-

tis à lege delictis, vel imperitia vel casus implicat, nemo nisi dolo malo & iuris contemptu praua machinatur. Adde quod nequitiæ militaris indolem reputantibus, æquissimè visum est nudam malè agendi fiduciam pœnæ sulijci, quia cum admissi grauitas pœnitentiâ sæpe deleatur, aut saltem nondum obduratæ improbitatis argumentum sit, commissi erroris odium luctu & dolore profiteri; qui tentato scelere minimè potitur, tantùm abest vt improbi conatus audaciam recipiscentis animi salubri aliquo mœrore damnet, quin potius aut repetendi instrumenta quærat, aut voti sui defectionem, noua & peiore culpa execretur. Præterea conceptum facinus exequi ad priuatam iniuriam odiumque spectat; Reip. infensus est qui peccare cupit, & refragantis sibi iustitiæ sanctitatem,

quantum in ſe eſt ſcla deſtinatione proſtituit, cuius accuratiſſima vltio licet ab omnibus repeti exigique debet, ideò tamen à militibus atrocior quia ex ipſorum delictis maliſque conatibus, peioris exempli pernicies, tum publicæ diſciplinæ contemptio maior deriuatur. Cùm enim coniunctam inter multitudinem facilè gliſcat imitatio, & in numeroſo exercitu à ſingulis aliquot ſimul inceptum vel peractum flagitium vi armiſque defendere promptum ſit, ne delinquendi fiducia exemplo & æmulatione valeſceret, res vetitas auſis tantùm implentibuſque militibus, par caſtigatio imminebat. Quamobrem conclamatis ad arma tumultumque manipulis, ignauiæ crimen ſola feſtinatio euitabat, tardior vel parum tempeſtiua præſentia fuſtibus primùm, deìn capite plectebatur; quinimò cunctari, vel

timere

timere periculum censendus erat si quis ad instructos ordines tardiùs aduenisset. Quæ animaduertendi ratio cùm non tam conuictæ confessæque voluntati, quàm contumacis aut parum fortis animi obscuro leuiq; proposito rigidam prorsus punitionem ingereret; si vltra mortem & famæ iacturam publicæ leges sæuire possent, certè ipsius vitæ detrimento peius aliquid in eos excogitatum foret, qui facto fugæ initio, audaciores quoque socios parem ad infamiam impulissent. Sed quotus quisque fuit qui eò dementiæ abriperetur, vt ambiguum periculum certo sui exitio vellet redimi, vel ignominiosa affici morte, ne laudato fine interiret? Et quamquàm magnam plerumque victoriȩ partem sibi multitudo vindicet, eoque pluribus eiusdem flagitij cōscijs, ad omnes exemplum,

ad paucos pœna perueniat, vtili seueritate receptum fuit, fusi exercitus potiorem numerum strenuorum ignauorumque pari exitu decumari. Pro tribunali stabat Imperator, hinc Tribuni & quicumque militum hostili impressione nihil territi, obstitissent; vacuo vtrimque spacio circumsidebatur fugæ aut ignauiæ conuicta legio, inermis, & grauiorem ex pudore pœnam quàm ex supplicio subitura; tùm ex incondita multitudine decimus quisq; ferali sortitione lectus, spissisimis Centurionum cõmilitonumque telis, & ictibus elidebatur, donec nocentibus innocentibusque victimis Romanę fortitudinis violata maiestas placata foret: at strenuos quoque sors funesta offerebat, sed & ignaui mactabantur quos perire tanti est; at ipsorum exitium vel per virtutis iniurias parare possis; lædebantur pri-

uati vt Reip. consultũ esset; sæuiebatur in singulos, ne interciderẽt vniuersi; & priuati dedecoris non erat iniqua ratio quæ commune decus asserebat. Vtrisque profuit tã exacti moris atrocitas; imbellibus ad periculorum contemptum; fortibus viris ad constantiam; illis, vt certissimâ vtrobique morte, honestiorem capesserent; istis ne per virtutem insolescerent, quæ licet innoxia & digna præmijs, vesaniæ pœnis subiaceret. Sicut enim grauium suppliciorum metu ad ingentes ausus euibratur sæpe timiditas, dûm præsentibus vndequáque periculis, gloriosa & ardua, cum laude mauult, quã tuta & illicita, cum dedecore, sic longâ sui fiduciâ virtus intumescit, nec interdum præmijs euehi debet, sed metu reprimi, ne contumaci sublata fastidio, positas infra se credat esse leges, & benefacta sua non tam præsta-

re Reip velit, quàm imputare; trepidos igitur impauidosq; milites, dura quidem ſed non iniuſta ſequebatur decumatio, quæ & proſcribebat ignauiam,& elatę virtutis audaces ſpiritus, infra metum & fiduciam opprimebat. Neque rurſus iniquum fuit, communem totius exercitus, legionis, vel centuriæ conſternationem, cum ſingulis definitiſque militibus non poſſet obijci, fortunæ iudicio dirimi, quæ ſicuti communium benefactorum mercedem, etiam immerenti, ſine cuiuſquam iniuria plerumque diſtribuit; ſic cõfuſam incertamque pluriũ culpam citra iuſtitiæ damnum, ab innocente poteſt exigere. Ac vt maximè fuſo fugatoque exercitu, vel in terrorem data legione exemplo magis quàm metu pleriq; cedant, iniuſtum potius fuiſſet eos alea ſortitionis eximi; quia non quemadmo-

dum alienam virtutem ſequi laudem habet, ita & excuſationem, plurium defectionem æmulari; ideo alieno pauore commota virtus ſuam quoq; pœnam vel ideò ferat, quia inconſultâ trepidatione, plurium ſecuta formidinem, vel periculo conſenſerit, vel ingruente hoſte tàm ſollicitè cauerit ſibi, vt ad fortunæ tribunal, vnà cum ignauiâ iam vocetur: velint denique aut patiantur militarium delictorum benigni cēſores, vt omnium gentium recepto vſu etiam modico bonorum ſanguine incolumitatem publicam ſanciamus; nec illud inquirant quantùm iniuriæ ſingulis fiat, ſed an publicum bonum procuretur. Polyxenę virginis tanta venuſtas eſt, tam emēdatus floriduſque decor, vt Græcos ad decennalis belli patiētiam iterùm obdurare poſſit: addicitur tamen carnifici pluſquam regijs amplexibus

matura ceruix, & tot prædonum felix in patriam reditus, tam elegantis victimæ precio ab ipsis Dijs impetratur. Curtijs Decijsque pares ciues sempiterno voto Roma desiderat; vtrosque tamen auertendis Reip. cladibus, facilè patitur hostili sæuitiæ deuoueri; & Massiliensis populi Græcâ mollitie perfusa comitas, dilectum ciuem publico sumptu & exquisitâ lautitiâ saginari iubet, vt saluti publicæ immoletur. Quis ergo fugitiuorum castigatione, strenuos aliquot nec satis exploratæ audaciæ milites inuolui crudele putet, dum exercitus seueritate proficiat, & paucorum exemplo, fides omnibus atque fortitudo constare possit? Vel si ad humani corporis incolumitatem non displicet salutari medicorum sæuitia sinceras aliquot exscindi partes, parum video cur inhumanũ sit, tota ferè exulcerata Rep.

& fœdo ignauiæ morbo laborante legione vel penè contacto exercitu, integrorum aliquot militum decumatione fortuita, perituris aliter omnibus prouidere, quin potius cum totas cohortes, totas centurias, turpissimè fugisse constet, nec à cœteris sũptum suppliciũ cœteros liberet, hoc ipsum benignæ seueritatis est, seruatis pluribus coërcere paucos, & certissimum sed commune crimen incerto fortunæ iudicio arbitrioque permittere. Denique si tam remissis solutisq; iudicibus humanæ iustitiæ ritus & instituta nequaquam placent, Dei præpotentis decretum forsitan probabũt innocẽtissimi filij caput humanæ nequitiæ piaculo deuouentis. Nisi quis censeat pœnis immanioribus, & inducta decumandi consuetudine non id quęsitum, vt stationis desertoribus robur animi & securitatem, supplicij

terror adijceret, sed vt exteris gẽtibus formidolosior esset miles, qui ad vincendi moriendiue necessitatem ipso necessitatis metu cogeretur. Nam legum seueritate non magis arceri vitia, quàm erigi virtus solet, eóque sincera fortitudine præditi milites, laudabili contemptu & benefactorum frequentiâ illarum sanctionum vim & vsum penè abrogabãt per quas id vetabantur facere, quod ipsis maximè displicebat; rarâ temporum felicitate queis per subditorum probos mores, magistratuũ sedulitas euanescit: quo stimulo Romanæ iuuentutis irritata virtus, aduersus ignauos compositis legibus, salubriter irascebatur, & vincendi renitendique pertinaciâ cõtendebat, vt strenuis in castris, aut intempestiuæ aut inanes essent. Nam ocium suum & laborem non ex ducum prudentia, sed proprio ingenio dispicere

ac metiri ſolitus miles, tantùm abeſt vt vlla vi aut periculo ad fugam aut deſertionem peruerti poſſet, quin potius arbitraretur fortitudinem fidemque ſuam ſuſpectam eſſe vel probari, prout intra vallum ſubſiſtere, vel præliari contigiſſet. Neque iam caſtigando timori, ſed frenandæ audaciæ proſpici neceſſe fuit, quam tamen ignaro vel vetante duce ad pericula progreſſam nō captus hoſtis, vel proſperè geſta res, animaduerſione liberabat, hoſtem fugere & fugare præter morem, culpæ paris erat, nec pauore minus pericula ſuſcipi quàm recuſari, ſæpe iudicatum; extra ordinem feliciter bellantibus eadem quæ fugitiuis inuſta labes, niſi quòd ad intempeſtiuam expeditionem prolapſos, non ſorte ſed iudicio, non ſingulos ſed prorſus omnes, rigor militaris opprimeret, quia Reip. commodis præcipi-

ti festinatione, quàm ignauâ morâ grauius infertur detrimentum, & cùm vbique se exhibeat parata virtus, meritò fuit exosa temeritas tanquàm in tempore defutura. Sed hostem exuere, turbare castra, perfringere stationes, si non gloriam at certè veniam merebatur, & inconsultæ audaciæ saltem parcendum fuit, quæ vt ab humilis animi deiectione planè discrepat, sic fortitudinem æmulatur, nihilominus tamen temeritatis pœnam intendebat ipsa felicitas & militaris prudentię magistris durioris vindictæ causam præbuit, prospero ex euentu reputantibus, quantum dispendij cõtumaciæ ferocis ardor, versâ fortunâ, intulisset. Hos enim intra limites pauor inertiaque concluditur, quòd publicam quidẽ gloriam augeri & illustrari vetet, eidem tamen nihil detrahat, sed iussa & iniussa discrimina cap-

tantis & suscipientis audaciæ spiritus, nec Reip. decus promouet, iussu & ratione destitutus, sed infaustâ sæpe ferociâ dignitatem imminuit: eâ causâ, etsi dispare vitio audacibus timidisque delinquentibus æquales inflictæ pœnæ, quia militaris iustitiæ ad ludibrium nihil refert, an tempestiua mãdata reijcias, vel immaturè & prę-ter legem exequaris: hoc ipsum enim extra tempus obsequi vel sponte & iniussu benè agere contumaciæ est, nec alio magis discrimine ab impetu & præcipitantia fortitudo distat, quã quòd alieno iuri & consilio sponte subiaceat, rerumque arduarum conatibus, ex ratione & imperio accingatur. Qua disciplina instructum militem, metũ inter ac temeritatem mascula virtus ita cohibuit, vt neq; monstrata pericula respueret, nec iniussa vel vetita sectaretur. Ea propter cùm

ignominiosæ fugæ aut defectionis conſcientiam nemo ſuſtineret, anguſtiores intra fines redacta caſtrorum iuriſdictio, ijs tantùm delictis ſollicitudinem impendit ſuam, in quæ militari quiſque conſuetudine & caſu potiùs quàm conſilio incurriſſet. Et quamquam leuibus & quotidianis ipſemet veniam conciliare videretur vſus, ex veteri tamen aſperitate, nihil aut omiſſum aut remiſſum: ſolemnibus enim ſeditionum turbarumque pœnis rixantium cōmilitonum damnata iurgia, & in ſolum hoſtem, abſque crimine & periculo diſtrictus enſis, tardiùs obſequi, vel indictorum munerum explorare cauſam, proximum deſertioni flagitium erat; neq; à diſcrimine capitis procul aberat, ſi quis veſtem militarem, ſi quis arma vendidiſſet; quæ etſi inter confligendum vel amitti caſu, vel metu abijci,

quàm alienari turpius esset, vtrũque tamen mortale fuit, quasi ineptum iniustumque foret veteranis in castris fortunam à consilio secernere, vel certissimis stipendijs donatiuisque locupletatum militem, & assiduo periculorum vsu contemptuque probatissimum, paupertatis specie vel imperitiæ cõmentis excusari. Nam nec satis austeram absolutamue legem esse constat, nisi quæ sponte simul & ignorantiâ cõtracta delicta persequitur, & leuioribus infensissima est, vt grauiora anteuertat. Eò quoque prouidentiæ castrensis transgressa sedulitas, vt rarâ penitus inter armorum licentiam pietate, Deorum curam gereret, ac vitæ dispendio exequeretur periuria, quæ hodierni mores, ludibrio vel calliditati transcripserunt: in eos tamen capitalium iudiciorum exempla duriùs exerceri placuit, qui na-

uatæ à commilitonibus operæ, gloriam & mercedem, adulterino testimonio vel iurisiurandi religione vendicassent. Cùm enim Reip. magis intersit priuatorum famæ & ornamento, quàm vitæ prospici, & pœnarum præmiorumque vinculis societas humana connexa sit, laudem alienam fraude præripere capitale fuit, & omnibus alijs magis inuisum crimẽ, quo videbatur effici ne debito sibi honore priuata virtus, sese publicis iterũ commodis aut necessitatibus exhiberet. Ac vt maximè militaribus animis innata sit prædæ rapinarumque cupiditas, attamen contra priuatæ rei fures receptæ olim sanguinis missioni, subrogata mors est; tanquam non priuatos modò sed Remp. læderẽt milites, quorum auaræ cupidines, nec publicis impendijs, nec peregrinarũ opum copiosa & æqua diuisione explerẽtur.

Nam frustrà & ineptè ambigas, stuprisne & adulterijs vel infami & barbaro concubinarum grege castra fœdauerint, quando ipsi Duces & legati iustis quoque vxoribus & maritali solatio, vetante lege abstinerent, vel domesticam corporis oblectationē famæ iactura rependerent, ac prouinciali vxorū nequitia tenerētur. Quod si quis ad hodiernæ licentiæ aduocationem aut præsidium, grauibus leuibusque noxis pares ferè capitis honorisque pœnas indictas esse conqueretur, idem ille sciat, non ex priuatorum iniuriâ vel illati damni magnitudine sed reorum cōtumacia & animo, legum iustitiæque reuerentiam aut contemptionem æstimari; quæ quia modicis ingentibusque peccatis vnâ eâdemque autoritate intercedit, in vtrisque committendis pari fraude & audaciâ violari solet: nec delin-

quendi modum ſed conſilium; non quantùm, ſed quid admiſſum ſit intuetur. Eius maieſtatem ne Ducum Præfectorumque poteſtas eluderet, vel contra decus publicum ſubnixa viribus atque potentiâ graſſaretur improbitas, communi quidem ex vtilitate cautum fuit, vt quamdiu militari præeſſent imperio, ipſorum rapinis & ſæuitiæ vtili diſſimulatione parceretur; ne aut criminibus vexatam dignitatem milites ipſi prouincialeſque contemnerent, vel Reip. miniſterijs impeditos dicendam ad cauſam priuatum odium auocaret. Cœterùm magiſtratu aut poteſtate egreſſos, ſarciendis priuatorum prouincialiûque damnis, in ipſo exercitu, ipſáq; Prouinciâ, quinquaginta dierum ſpacio, publicæ ſiſtebant leges; intra quod tempus, patratas cædes, extortas auerſaſque pecunias, ambitiosè habitam Prouinciam

Prouinciam, vendita iudicia, odio & gratia datos ademptosue magistratus, & magnis dignitatibus proxima scelera, tantò quisque faciliùs securiúsq; deferret, quòd finito imperio potentiæ abesset metus, & priuatæ quæstioni causa publica iũgeretur. Vnde Prouinciarum exercituumq; Rectoribus probè gerendæ rei grande incitamentum accessisse crediderim, præsentem potentiã ex futuro statu metientibus, & veritis, ne quidquid iniquè vel parùm licitè facerent, peruigili priuatorum militúmque curâ obseruatum, perenni bonorũ honorumq; damno ad publicã notitiã & accusationẽ perueniret. Nã integritatis & innocẽtiæ fidissimus est custos metus, & magnæ licet incorruptæq; probitati summo in magistratu sic lenocinatur auaritia, sic insidiatur ambitus, blandiuntur opes, vt vix aliter effugiat intacta vir-

tus, nisi mutationis intra formidinem & æmulorum inuidiam delitescat. Quibus frenis illustrium virorum repressa potentia, sicuti prosperâ domi forisque fortunâ viguit, ita præmiorum pœnarumque non dubiâ expectatione territum ductumque militem ijs imperijs & facinoribus habuit semper obsequentissimum, quæ omnium gentium vitam, opes, libertatem vni Populo subdiderunt. Nam raris Ducum militumque virtutibus haud certè minùs, quàm armorum vi quæsitus orbis,

Quâ mare, quâ terræ, quâ sidus currit
vtrumque.

Sed postquàm solius Reip. compendio vel honori bellare piguit, neque solâ gloriâ aut priuatis opibus cõtentam fortitudinem corrupit ambitio, non metus vltrà non pudor obstitit, sed domitis vbique gentibus,

cùm latiùs irrupturæ cupidini, apud exteros præda deficeret, quæsitũ domi raptumque est quod foris aberat, & priuatis sumptibus exhausta patrimonia, publicis facultatibus repleri visum est, vel in priuato statu summas opes, absque summa potestate haud satis tutò vel magnificè possideri. Hinc potentum æmulationem ipsa Reip. dissidia promouerunt; queîs aut fouendis aut componendis dum se quisque exhiberet, priuatas cupiditates obtegebat adhuc vtilitatis publicę defensio, donec assertoribus suis minor iam Senatus ac Populus vi & fortunæ cuncta permitteret, vnumque inter potentes & æmulos certamen esset

Plus patriâ potuisse suâ.

Quas factiones cùm accendisset ambitio, armis tueri necesse fuit. Vnde ad bellorum ciuilium nefas rudis

imperitúſque miles, qui pœnarũ metu illicitis ante abſtinebat, impunitate & præmio ad omne facinus impellebatur. Nec gẽtilitijs ſordibus aut lõgæ calamitatis infamiâ ferox Marius, in luctuoſo Vrbis introitu, alios mercede vel pœna iuſſit affici, quã quòd ad promiſcuã nobilitatis occiſionem ſegnius promptiuſue obſequium admouiſſet. Hinc diſciplinæ pereunte reuerentiâ, & priſtinæ modeſtiæ per contrarias leges exemplis abolitis, virtutum antiquatus honos. Iamque ad impietatis artes facti formatíque milites, Marianarum partium lanienam nouâ & peiori ſtrage vindicarunt. Nam raro penitus exemplo turbulentiſſimam vitam placido fine claudente Mario, publicæ rei penès optimates inane nomen, vis apud Sullam autoritaſque omnis erat, qui paratæ ab ſe vltioni ereptum hoſtem indigna-

tus, vſurpato diſciplinæ caſtrenſis arbitrio, omni ſæuitia milites ſuos ſic imbuit, vt victis hoſtibus donare vitam conſueti, ne deditis quidem ciuibus indulgere vellent; eóque in crudelitatis preciũ occiſorum proſcriptorumque ceſſere bona, direptiſque familijs præter carnificem nullus hæres. Nec hos intra fines ſubſtitit immanitatis furor; propinquorum crimen infauſta luebat affinitas, & innocentes adhuc liberos paterni exitus abſtrahebant; parique exitio fuit Marianas fouiſſe partes, & vidiſſe. Non ſexus, non ætas periculo vacua; & quibus deerat inimicus, per amicos oppreſſi, dum ſalutem quiſque ſuã quocumque flagitio redemptam vellet, nec propria ſecuritas, niſi alieno exitio quæreretur. In culpam quoque & ſupplicium tracta fœcunditas, & ſæuitiæ publicæ vim paſſus eſt cõiugalis

amor, dum promiſcuis maritorum liberorumque cædibus acceſſere matres, tanquam Marianæ potentiæ ſubſidia peperiſſent, illud ſaltem inuitis ſicarijs aſſecutæ, quòd orbitatis iniurias euitabant. Senilis ætatis & neutrã in partem trãſituræ eadem clades, ſed in ipſa clade grande ſolatium, poſteritatis ſuæ calamitatibus ſubtrahi. Neque iam præmatura morte ipſis in cunis infantes eliſi, poſtquam teterrimo furore id peragebatur, ne peſſimis tẽporibus nati interfectoribus ſuis pares eſſe poſſent.

Nobilitas cum plebe perit, latéque vagatur
Enſis, & à nullo reuocatum eſt pectore ferrum.
Non ſenis extremũ piguit vergentibus annis
Præcipitare diem, primoq; in limine vitæ

Infantis miseri nascentia rumpere fata.

Quinetiam sæuiendi perennitati consultum fuit, neue tot plagis & quasi viritim illatis mortibus vires amitteret lassata crudelitas, repertum est, quomodo in vnum locum vnumque tempus omnem rabiem roburq; congereret. Nam eodem sub ictu & gladio positę confectęque inermium ciuium legiones. Et ipsum illum è vicina Curia feritatis suæ spectaculo fruentem Sullam, tot exeuntium animarum clamor, ad noui sanguinis sitim & profusioné asperauit. Ac licet sempiterno posterorũ luctu Mariani reditus sit exosa memoria, dubiam tamen adhuc inter duos potentiam prehẽsanti, in Sullanam societatem omnimodò sæuiendum fuit: sed sublato Mario quid aliud tot extinctis euersisque familijs Sulla quæsijt, quàm gratuitam ex crudelitate oblectationem

nobilium plebeiorumque funeribus experturus, an mortuo iam & nihil ſentienti Mario nocere poſſet? Iratæ ambitionis tãtus erat furor, tam exulcerata rabies, vt perditum à Mario crederet quidquid nobilitatis optimatibus adfuerat; nec alios carnificinæ Marij eſſe ſuperſtites, quã qui eius regreſſum armis aut opibus adiuuiſſent. Exſcindi ergo placuit vniuerſos; & poſtquam in ſingula capita graſſatum eſſet, deletis vnica cæde domibus, abſumptis vno vulnere familijs, lamentationibus & funeri locum crudeliſſima pietas non reliquit: nam innocẽtum ſanguine ſedatam militum ſitim, accendebat opulenta crudelitas, & tantùm quiſque diues erat, quãtùm occidiſſet, nec sãguis in vulneribus, ſed præda ſola quærebatur. Verùm inteſtabili prorſus exemplo tracti pueri, raptæ virgines, & voluptati

primùm data corpora, ſtupratorum gladijs ſatura libido exponebat. Ne tamen credi poſſet, priuatâ potius iracundiâ quàm inſtaurandis optimatibus tantùm ſanguinis hauſiſſe Sullã; quam vt perennem inuaſerat, Dictaturam depoſuit. Neque eò magis priſtina ſcelera eiuraſſe viſus eſt, cùm faſtidio potiùs quàm pœnitentiâ peſſimè arreptum & peiùs habitum abdicaret munus. Poſtquàm validiſſimo quoque trucidato, viles tantùm & paratas ad ſeruitutem animas, ſummæ ac propè regiæ poteſtati ſubijcere pudor eſſet. Vtque maximè nondum ſatis imbuto gladio, nouum quotidie quæreret ſanguinem, eatenus ſaltem ſtrages ſuas videri poteſt execratus, quòd latis contra ſeipſum legibus, capite dãnaret hominis occidendi cauſa ſicarios ambulantes; niſi tamen quas ediderat iuſtas legitimaſq; cædes eſſe

ratus, eas tantùm illicitas esse voluerit, quas priùs ipse nō iubebat. Tot enim victimis saginatum militem priuatus quoque retinuit; donec perēptorum ciuium manes exaudientibus dijs, fœdissimi morbi pedore consumptus ciuilium bellorum flagitijs instructissimas copias, toties ad mortem quæsito Cæsari transmisisset. Infaustâ siquidem sed innoxiâ morte discordiarum ciuilium clades elapsum Crassū, & plusquàm regias inter opes adhuc pauperem, Parthicæ expeditionis fructu fortuna destituit, vt Cæsaris & Pompeij sanos & innocentes exercitus Sullanarum partium veteranus miles erudiret, ac ciuilium nequitiarum pari vtrimq; notitiâ, qui felicior idem & melior crederetur. Sed plusquàm Mariano ferro iterum prostratis optimatibus, vnicâ Pompeij fugâ tot præliorum destructum decus ipsi

quamquam victori Cæsari sollicitudinem iniecit. Veritus igitur ne cõflictus ignominiâ Pompeianorum potiùs offensa quàm depressa virtus, collectis iterum copijs cladem rependeret, ciuium sanguini iam assuetum militem sic instituit, vt post traiectum Rubiconem, expilata templa, fugatumque Pompeium, ad pleniorem ciuilium armorum cognitionem & licentiam, Sullanis reliquijs non egeret. Nam cæsum in Ægypto, sed filiorum legatorúmque cladibus vbique infelicem victumque generum, propriâ quidem virtute Cæsar, sed insigni penitus & ciuilibus bellis eruditâ militum operâ, Romanæ rei fastigio deiecit. Quorum solutos mores, & necessitate temporum, magis quàm legum obliuione tolerata scelera, pristinæ seueritatis exemplis & expeditionum laboribus eluere meditátem,

publicum parricidium occupauit. Sed iuſtæ vltioni cùm Octauij nepotis iuuenta non ſufficeret, ætatis iniuriam ſuppleuit animus, & interfecti Cæſaris gratiſſimis Manibus tot victoriarum benefactorumque memoriâ, tot impunitate ſcelerũ obſtricti milites, eaſdem artes, eamdem licentiam referentem hæredem auunculi potẽtiæ reddiderunt. Bellis enim ciuilibus extinctâ nobilitate & nouarũ proſcriptionum ſpolia eludente penuriâ, infauſtas exiguaſque Pompeij reliquias modica vis opprimebat. Mox vbi Lepidum inproſperæ res, deinde ſocordia, Antonium libidines & ſiniſtri euentus peſſumdediſſent, vindicis Octauij cumulatæ vires, Brutum & Caſſium totâ belli mole obruerunt. Ex quo æmulationis alienæ metu vacuus, & maiori quoque potẽtiæ par, cæſis iam patritijs, aut ſuperſtitum

exiguis viribus, vbi pecuniâ militem, annonâ Populum pellexiſſet, ne vno impetu occupata dominatio, inuidiã & periculum pareret, ſummæ rei vſurpatum arbitrium Conſulari Tribuniciaque poteſtate coërcuit, vſque dùm legum & magiſtratuum tractis in ſe paulatim muneribus, parum proſperæ auunculo Dictaturæ memor, idem tamen imperium, eamdem vim, diuerſo ac leniore principatus vocabulo mitigaret. Cuius formandis initijs clementiam & æquitatem amplexus, inſigni & gẽtium domino digna ſollicitudine adeptus eſt, vt vetuſta mala noui ſæculi felicitas aboleret. Reſtitutis enim priſcæ militiæ ſanctionibus, ſicuti ſtupra, incendia, ſpoliatas domos, & quidquid facinorum diſcordiæ ciuiles inuexerant, temporum fatis dedit; ita validum adhuc & opibus delictiſque inſoleſcentem mili-

tem, ſic impoſterùm repreſſit, vt certiſſima caſtigationis cauſa foret, impunè olim peccauiſſe. Atque vt longo luxu & libertate exultantes exercitus nouus rigor minùs offenderet, quidquid irarum & pertinaciæ ſæuis in pectoribus reſidebat, longinquarum expeditionum patientia emollire conſtituit, donec impijs commilitonum cædibus, per honeſta vulnera abſolutæ mentes nouæ diſciplinæ mutationem ferre poſſent: cui ex militum temporumque vſu & ingenio componendæ, quamquàm ſolertiſſimi Principis mens erudita ſufficeret, arduo tamen & periculoſo muneri præpoſuit omnis diuini humanique iuris ſcientiſſimos Labeonem & Trebatium, tradito potentibus more, cùm rectè factorum gloriâ in ſe vertant, publicis odijs iudicijſque priuatos obijcere, & alieno damno inui-

diam à ſe amoliri. Sic prouincialium bellorum laboribus expurgati correctique mores, & pœnis præmijſque renouatis, pari rurſus cum veteribus gloria & arte militatum. Nec Tiberij Cæſaris in excolendâ caſtrorum inſtitutione diſpar animus aut cura fuit, prioribuſque Iulij & Auguſti placitis à Coccëio Nerua Iuriſperitiſſimo Conſule additæ leges, ipſi atque Tiberio in antiquum ſplendorem reductæ militiæ famam attulerũt. Ex quorum inſtituto, debellatis inter Albim Rhenumq; nationibus, pacato Illyrico, perdomitâ Daciâ, Germanicus Druſuſque Cæſares fortiſſimis exercitibus rectè ac malè factorum, magna poſuere precia & pares pœnas: decimatæ vetuſto more legiones, aucta vel imminuta ſtipendia, in hoſtem ſæpius, in militem non rarò educti gladij, elatæ ſecures, & iuſtitiæ ca-

ſtrenſis inſigni ſolertiâ, furentibus adhuc turbidiſq; militibus datum, quòd tranquillis rebus grauiſſima animaduerſione rependerēt. Ne Caij quidem Cæſaris turbata mens, & ijs infenſa legibus quas ipſa non dixerat, relatam veteris militiæ ſanctitatem corrupit. Quamuis enim ſæpius ad ciuiū quàm hoſtium necem militum operâ vteretur, eoſdem tamen quaſi exprobrantes & conſcios tam ſeuerè imò crudeliter habuit, vt ab impio domino virtutis & conſtantiæ mandata capere dedignati, eo perempto meliori locum aperirent. Nam Claudij quidem imminutus animus, & ipſo Tiberij iudicio publicis miniſterijs impar, caſtrenſem tamen intra modeſtiam & auitarum legum venerationem, prouincialem vrbanumque militem cohibuit, vt quietâ Germaniâ Britanniáque potiretur. Neronis quoque quin-

quinquennalem innocentiam miles coluit, & adhuc pio Principi pacatæ prouinciæ seruiebant, sed veteris Disciplinæ sacramento addicti exercitus, & honestis tantùm iussis assueti, non defectione sed verecundiâ Reip. armorumq; curâ sanctiori Duci tradiderunt; qui tamen tēporum suorum inscitiâ vel contemptu fœdè lapsus, dum natalium splendori quàm militum studijs plus debere cupit, antiquę seueritatis obstinatâ pertinaciâ primus docuit, posse Remp. pretio & largitione cōparari. Othone siquidem atque Vitellio, ciuili rursum bello ad solam luxus ganeæque licentiam dissidentibus, in antiqua probra milites Ducesque reuoluebantur, precio & mercede pacti, hi vt impunè grassarentur, illi vt electorum à se Principum legibus soluti essent. Sed sāctior in Oriente militia triennali penè exi-

lio pulſam modeſtiam, euecto ad imperium Veſpaſiano Vrbi Prouincijſque reſtituit; qui dum victus antiqui parſimoniã ſæculi ſui moribus temperat, & auaritiæ ſordes inopiæ publicæ neceſſitate prudenter excuſat aut protegit, legibus ſuis imbutos exercitus, propriæ famæ vi & liberorum ductu, facili prorſus imperio ſibi ſuiſque conciliat. Rerum quippe geſtarum magnitudine & priſcarum virtutum tenaci ſtudio metũ apud improbos, apud bonos amorem conſecutus, facilè vitauit, ne quis collatam ipſi potentiam exprobraret. Neque Titi Cæſaris humano generi adorata probitas patiebatur, vt pio parenti miles obſecutus pijſſimi filij meliora iuſſa contemneret; Sed ſtabilitam ab vtroque diſciplinam ſic labefactauit Domitiani fœda crudelitas, vt ad priora flagitia lapſos iterùm milites quaſi

præcipientis domini perditiſſima vita excuſaret. Diui quoque Neruæ maturam quidem, ſed fluxam ſenio debilemque prudentiam, nocentis rurſum militiæ ſuperabat impietas, niſi labanti obſequio & infectis peiori cõtagione militibus, felici Vlpij Traiani adoptione ſubueniſſet; cuius rara penitus & malis boniſque ſub Principibus edocta maturitas, ad hoc militibus ipſis nota fortitudo, ſatis prodidit quales tãdem cumque ipſorum mores, ab Imperatore deriuari. Sanctiſſimi enim Principis inſtituta mẽtu & adulatione, vel ſolo virtutis amore miles æmulatus, cùm reſtitutam pœnarum acerbitatem, exutis vitijs effugeret, benefactorum decus & præmia ambiebat. Quæquidem etſi ab antiquo vſitata forent, ſic ornabat commendabatque optimi Principis ſedula prorſus integritas, vt nouis e-

tiam meritis quasi mox reperta sufficerent. Nam cùm Reip. deprauationes dissimulatio sæpe corrigat, productaque in publicum excandescat improbitas, emendandis temporibus tutissima ratio est, sic insectari vitia vt virtutes promoueas, & illa quasi prorsus incerta vel parum cognita, istas tanquam obuias & frequentes, coërcitione vel gratiâ prosequaris. Quâ solertiâ Traianus Cæsar, reuocatas militarium offensionum leges liberali benefactorum precio leniijt, vt longâ impunitate corruptus miles crederet, non magis se ab illicitis auocari, quasi suspectum, quàm ad virtutem quasi probatũ & innoxiũ confirmari; neq; nouæ disciplinæ tam abhorreret infamiam, quàm diligeret humanitatem. Quod vt adipisci faciliùs posset optimus Principum, tanquàm sæculo suo veterum militum vigeret integritas,

virtutibus exornandis, quàm malefa-ctorum vltioni magis indulgebat, & ad nequitiæ dedecus atque suppliciũ satis erat, benefactorum largâ remu-neratione testari, solam in militibus honestatis incuriam, vel disciplinæ contemptum, Imperatoris odium & vindictam prouocare. Ignominiam superabat, egregijs factis paratus ho-nos; pœnarum grauitatem, præmio-rum amplitudo; duriciem laborum, vacatio munerum adæquabat: militiæ diuturnitatem solabatur immunitas, rei familiaris iacturam agrorum par-titio & ociosæ senectuti proposita subsidia sarciebant; onerum sarcina-rumque molestiam reficiebat vrbana quies; facilis & iucunda; erat prouin-ciali copiâ, castrorum pensata fruga-litas; legum necessitatem remittebat soluta iurisdictio, & pagani magistra-tus Tribunalibus, causarum milita-

rium ablata notitia, publicâ pecuniâ ob benemerita redemptis iucundum fuit, postliminio restitui, & inter captiuitatis iniurias statim defunctos aut superstites ; nulla ciuium commoda perdidisse. Huic temperamento & institutioni assuefactis iterum à Traiano militibus, integritatem domesticam secuta est peregrinarum expeditionum felicitas, & veteres vltra terminos limes imperij propagatus. Incruentis victorijs attrita paruit ipso quondàm Cæsarum sanguine respersa Dacia; iugum accepere Germaniæ, obsecuta Gallia, & ciui alumnoque suo volens Hispania famulata est; pacata Ægyptus seruitutem suam annonâ copiosiore fouit; totâ Asiâ Africâque Romanum Tribunal, erectæ virgæ, elati fasces. Iamque non feroci Armeniæ non oblati Reges, sed impositi; & præter arcanam fatorum le-

gem vltra Ctesiphontem domitis Parthis, inductæ aquilæ, prolata signa,

Omniaq; errantes stellæ Romana videbant.

Neque aliàs tam immota pax, vel opulentiæ publicæ augustior magnitudo, cùm malis quidem Principibus melior, sed optimo parenti dispar Hadrianus, togato comitatu quieti orbis viseret prouincias, recenseret opes, & potentiæ suæ miraculis interesset. Tunc certè Imperatorum militumque modestiam coluere gentes; & facili prorsus hinc imperio, inde obsequio, peregrinæ seruitutis deleta labes; dùm vniuersum, quà patebat, Orbem Romanæ Ciuitatis ambitu legibusq; complexus Antoninus, non dubijs & infidis hostibus tanquam dominus & arbiter, sed ciuibus tanquam parens imperauit. Pijssimi Prin-

cipis tam magnifico quàm nouo munere gauiſus Orbis, quamdiu rei Romanæ potiti Cęſares, ſummam potentiam natalibus tantùm ſuis vel adoptioni debuerunt. Sed ex quo poſſe alibi Principem quàm Romæ fieri euulgatum eſt, nec eligere aut ſuccedere licuit, dandi transferendiq; imperij à militibus occupato iure, ex bonis maliſque Principibus æquale detrimentum paſſa Reſpublica; dum hi flagitio quæſitam ijſdem artibus exercerent, illi acceptâ perfrui, quàm tanti beneficij autorem militem offendiſſe mallent. Nam apud probos quoque Principes imperij dulcedo tantùm pollet, vt emendationis publicæ curas ſeueriores dominationis diuturnæ amor eijciat, ac multa facere & loqui ſubditos impunè ſinant, dum propriæ ſecuritati per morum incuriam conſulatur. Integerrimus

enim Principum Aurelius Cęſar infra ſeruile contubernium prolapſas vxoris libidines, & triginta legionum petulantiam, imperij reddendi metu, pari diſſimulatione præterijt; cóque ſtoicâ perâ quàm auguſto paludamento dignior, poſterorum gratiam perdidit, quia potentiæ retinendæ cupidine nec auderet amouere coniugem, nec in officio militem continere; ita vt caſtrorum corruptelam magis auxerit innoxij parentis religioſus timor, quàm prauiſſimi hæredis effrenata nequitia. Nam truces dominos & palàm ſæuos odêre quidem ſubditi, ſed formidant, & quam ab ijs innocentiam virtutis amor non impetrat, crudelitatis terror extorquet: neque peior populus aut deterior eſſe miles poteſt, quàm cuius audaciam meticuloſi Principis imbęcillitas, aut imperatoris ignauia ro-

borauit. Iuuenilem Commodi lasciuiã secuta Pertinacis austeritas, & breui tempore vsurpata dominatio, ad vetusta scelera regressæ militiæ nihil profuit; quia mortalitatis vitio tardiora sunt remedia, quàm mala, & vt corpora lentè augentur, citò pereunt; ita rectam Reip. formam faciliùs opprimas, quàm reuoces; neque subitis temporum Principumque mutationibus deprauati mores nisi longa & difficili curatione cõualescunt. Vnde quàm breui tam impia factione rapti ad imperium Saluius Iulianus, Pescenniusque, quam sollicitudinem in tuendâ castrorum sanctitate priuati præstiterant, omisere Principes; dignitatis suæ largitorem militem pari impunitate & largitione prosecuti. Neque Septimij Seueri potentia iustior, sed acrior disciplina fuit. Nam obscuris quidem in Africâ natalibus,

ſed luculẽtâ vbiq; famâ & gloriâ probatũ fecit, iniquè parati Principatus infamiã expungi poſſe prudentiâ, & potentũ claritudinẽ nõ tam in ſplendore generis, quàm animi præſtantiâ & calliditate conſiſtere. Britannicis enim Parthiciſque victorijs formidinem foris, venerationem domi conſecutus, poteſtate ſic vtebatur, vt non magis accepiſſe beneficium videri velllet, quàm dediſſe, tantique muneris opulentiam, quia omni gratiâ maior erat, vſitato potentium more, odio & aſperitate rependeret; dignus tamen conſecratione, & ſæculo ſuo neceſſarius Princeps, quíque apud poſteros famâ laudabiliore frueretur, ſi Reip, quàm liberorum amantior electo potiùs quàm genito ſucceſſori publicum regimen tradidiſſet. Quid enim ipſius ſeueritate & impotentia exacerbatis militibus licere noluit

Caracallæ Cæsar, postquàm ipsorum manu & ministerio, integerrimo fratri necem molitus, admissam in se perfidiam in exercitu approbaret? Nec tamen ad diuturnitatem imperij aut redimendam castrorum fidem quidquam profuit impunitas, vel flagitijs parata merces; alieno siquidem suffragio & tabella acceptam potentiam infirmam instabilemque esse necesse est, quia cùm rarò publicæ omnium existimationi accitorum Principum mores & facta respondeant; quasi subditis imperitiam exprobret, statim displicet quisquis electus est; ac multitudinis inconsulta leuitas, nouâ sæpius ac peiori mutatione corrigitur: vel si consensu delatum imperium, ex arbitrio dominico, aut æquitatis ex legibus administres, quasi libertati manum illaturus abijceris, aut saltem collatæ potentiæ firmitas abdicatio-

nis æterno metu, & malefactorum turpi dissimulatione comparanda. Inde Romanos apud exercitus, iustitiæ militaris exorta labes, quia cœteri Principes successione rarissimè, acclamatione sæpius aut armorum sorte imperium adepti, militum scelera pati vel remunerare cogebantur, sine quorum ope & consensu, nec retineri decus imperatorium poterat, nec parari; adeò vt diuersarum partium tumultu scissâ militiâ, diuisisque legionibus, vicenos inter tricenosque prædones laceraretur imperium, cuius societatem, innocentibus adhuc seculis, fraternus amor non ferebat. Vnde à victore gentiũ populo, acceptas olim iniurias vlturis gentibus, grande penitus adiumentum fuit inuadendi singulos & discordes, queis in commune consulentibus nulla vis vnquam obstitisset. Sed armorum simul ac dis-

ciplinæ oblitos aut negligentes, & ciuilibus odijs inuolutos, Gothorum Vandalorumque superfusa colluuies inundauit; quodq; vltimum in Rep. malorum erat, tam immani diluuio non castrensis modò iustitiæ & militarium artium oppressa cognitio, sed extincta subsidia, per quæ iterùm vigere posset: tumultuario tamen impetu fultam potentiam nec ipsi quidem mansuris viribus firmauere Gothi, sed illos quoque ipsa disciplinæ ignoratio vel incuria pessum dedit, per quam humanis ceruicibus vim Romanam depulerant. Nam bellorum sorte multiplici fractis vbique aut dissipatis, & malè inter se concordibus, infelicis imperij reliquias extorsere gentes, quæ Romanæ magnitudini æqualem propè dominationem Christiani nominis pari damno & pudore condiderunt. Illarum armis

& superstitionis scelere fœdatus Oriens, ac prosperis euentibus elata barbaries ignauiæ nostræ incubuit: præmiorum pœnarumque ignaræ aut expertes, quas immanissimi domini, non vlciscendæ virtuti, sed ostentandæ potentiæ iniquissimè partiuntur; non insignium monumentorum exemplis, vel institutis militaribus, sed prætoriarũ cohortium barbara vænalique audacia, sæuitiæ diuturnitatem tueri soliti, tantùm timent quantùm timentur; nisi quòd vitæ bonorumq; receptâ sibi potestate, parique subditorum statu, inter æquales & inopes facilè regnant, ijsque artibus crudelem dominationem tuentur, quibus apud alios legitima Regna deperirẽt. Sed præcipuũ in eo seruientis Europæ crimen est, quòd ab ijs durissimum iugum perferat, qui latrocinijs tantùm occupati factique de exuli-

bus Imperatores, discordiâ vel perfidiâ nostrâ victoriarum artes & instrumenta didicerunt, nusquam quieti aut innoxij, nisi cum tot populorum regnorumque domitores, reliquis gentibus, per dedignationem & contemptum, tanquam vili & minore præda abstinerét. Nunc tamen domi solùm viget tantæ potentiæ terror, siue fatali extincto sidere, & cessantibus ventis quibus intumuit, siue quiete contenta est veterum discriminum memor fortitudo; siue libidinoso luxu fluentibus graue est domesticas delicias amouere, & intermissam castrorum patientiam rursum experiri, siue denique arma nostra suspiciunt, postquam accisi bellis, attriti cladibus, in ipsos adhuc erigimur, vel mutuò dif[illegible]mus. [illegible]ciplinæ mili-
[illegible] m translatâ
[illegible] xuir[illegible] us

humanum exolutum ibat Hiſpana pubes; iamque noui Orbis diuitias non regium ad luxum, ſed mortalium redimendam libertatem conferebat; ſed proh nefas! tam pij voti ſanctitas paſſim diſplicuit, æmuliſque potius viſum eſt in ipſorum perniciem ſæuitiæ Turcicę vigere robur, quàm Hiſpanorum vindictâ & opibus, publicam ſecuritatem reſtitui; eóque vnius primùm Batauiæ, validis auxilijs ſancita rebellio, ſexaginta ab hinc annis fatigat totius Aſię recuperando Imperio ſuffecturas opes: quæ licèt tot locis ſumptibuſque diſſipatæ, cùm perduellium ſociorumque viribus pares aut maiores eſſent, ne decennali bellorum interuallo & parſimonia in vtrorumque exitium augerentur, nouas rebellionum ...es, in Germania nuper accendi ...it; quæ feliciter extinctæ, ite-

rum nouis odijs, maioribusque viribus excitantur; vt conspirantibus vbique votis Austriacorum potentia saltem alicubi frangi & labare possit, vel totâ sui mole inexpugnabilis, per partes tandem cuniculosque concidere. Maximi liuoris causa triplex, acceptæ à Deo potentiæ perennitas, tanti muneris memor cultrixque Religio, & vtrique sustinendæ congruæ opes. Nam penès Hispanos virtutum militarium summus honor est, æquale delictorum odium, ac belli gerendi felix hactenus, & quasi superûm dono, post tantam sæculorum barbariem relicta cognitio. Laboris & inediæ tolerans natio, quæ cœteræ gentes ambitione vel auaritia, pietate & numinis ductu bella prouocat aut repellit; vel ijs momentis aggreditur, quæ sinceras apud mentes omni iniuriæ suspicione

vacare poſſint. Partorũ tenaciſſimi, diu penſitata conſilia ſecurâ tarditate exequuntur: non depreſſi damnis, ſed lætis euentibus alacres, quos ſola virtus & induſtria ſibi arrogat; triſtium crimẽ & inuidiam fortuna luit: occaſionum properi, nouis tamen rebus vti quàm ſtudere malunt: in gerendis rebus profligandiſque bellis, cunctatio placet, nec impetu vel audacia, ſed arte & ratione confligitur, eiuſdemque artis eſt vitare damna & inferre; viuidi progreſſus initiorum moras penſant, quia lentè collecta ira periculi notitiâ firmatur, & duraturo vigore incaleſcit: rariſſimo exemplo media inter arma Dei cultum palàm exercent & oſtentant; ac licèt in multa libertate nobilitatiſque iactantia, nullas apud gentes maior in Reges ſuos Duceſque reuerentia eſt: vrbium arciumque ocioſis præſidijs

consenescere, vel diuturnis prælijs absumi parem laudem habet, & præcipuum decus est inter tuta vel ancipitia, obsequij famam promereri; ne victos quidem speciosa verba destituunt, & dignum victoribus supercilium: discriminum nequaquam timidi, socijs auxiliaribusque copijs Romano ex more multa prælia mandare solent, & notis exploratisque hostibus fortiter insistere: peregrini emptique sanguinis iactura vilior est; in commune nocet quidquid ipsis aut adimitur aut perit. Nam tot in Regionibus dominatrix & sparsa gens, multitudine & secunda fortuna sustentari debet, eoque cautius tentare pericula, ne victa bellis aut diminuta cladibus tutandæ potentiæ impar euadat, & infelicibus ex euentis, subditas apud gentes, certissimo defectionis initio contemnatur: terestribus ma-

ritimiſque prælijs boni, peditatu prę-
pollent, equeſtrem aciem vſus ani-
muſque edocuit; aduerſus deditos
facili clementia, victis, tanquam po-
tentiæ contemptoribus implacabi-
liùs iraſcuntur; vtriſque tamen pari-
ter diffiſi, munitarum arcium terrore,
quamquam aliàs rebellaturis obſe-
quendi neceſſitatem imponunt: ſub-
actarum Prouinciarum vrbiumque
præſidio exteros aut ſubditos raró di-
gnati, quod ſoli non quæſierunt, ſoli
tuentur, & peruigilem eorum contu-
maciam vix ab ijs locis ſtationibuſ-
que dimoueris quas ſemel inſederint:
neque armorum ſolum ius & impreſ-
ſio dominationis compotes facit,
quæſitis rebus plerumque aſtus inſi-
nuat, & ad iuſtam vim eruptura calli-
ditas; in defendendis obſidendiſque
Vrbibus æquè pertinaces; & gloriæ
diſcriminumque cupidos, magna

præmia cohortantur, regiosque censsus æquantes Præfecturæ; nec benemerita tantùm, sed benemeritorum nuda spes apud eos mercedem inuenit, paternæque virtutis fructum vix nati liberi cōsequuntur: illustres familias dignitates augent, modicas perennia commoda & immunitates. Ac veluti tot honores compendiaque sperantibus vitæ castrensis vnus amor est, sic rei familiaris & agrorum, quamquam in fertilissimo solo, nulla penitus aut rara cura: patriæ & liberorum amorem Regis veneratio antecedit, summaque & votis expetita voluptas est, in remotissimas terras regio iussu ablegari, quodque penè inauditum solertissimæ gentis decus est, vasto terrarum marisque spacio dissitis Regulis militibusque, & tutè rebellaturis, contumax tamen est in Reges suos & immota fides: erga

ſocios externoſque promptus fauor, parata auxilia; ſed fidiſſimæ humanitatis officia, multorum cauillatur improbitas, quaſi defenſis incumbant aſſertores, & pleriſque contigerit, grauiore damno ſeruari quàm periſſent. Neque ſolis bellorum militumque ſumptibus latiſſimè porrecti imperij prodiguntur opes; ſed magni quoque Principes annuis donis & ſubſidijs deliniti, tantam maieſtatem adorare vel timere diſcunt, & dignitatis in ſpeciem videntur accipere, quod apud alios obſequij pignus aut vectigal eſſet: cumque ipſi pluſquam Eleuſynio ſecreto conſiliorum momenta claudant, alienos ſenſus receſſuſque penetrare, & proditis rebus penè in miraculum vti poſſunt. Atque vt inſignis erga cælites pietas, largitaſque præmiorũ, Hiſpanici ſceptri faſtigium attollit, ſic iuſtitiæ ac diſcipli-

ciplinæ oblitos aut negligentes, & ciuilibus odijs inuolutos, Gothorum Vandalorumque ſuperfuſa colluuies inundauit; quodq; vltimum in Rep. malorum erat, tam immani diluuio non caſtrenſis modò iuſtitiæ & militarium artium oppreſſa cognitio, ſed extincta ſubſidia, per quæ iterùm vigere poſſet: tumultuario tamen impetu fultam potentiam nec ipſi quidem manſuris viribus firmauere Gothi, ſed illos quoque ipſa diſciplinæ ignoratio vel incuria peſſum dedit, per quam humanis ceruicibus vim Romanam depulerant. Nam bellorum ſorte multiplici fractis vbique aut diſſipatis, & malè inter ſe concordibus, infelicis imperij reliquias extorſere gentes, quæ Romanæ magnitudini æqualem propè dominationem Chriſtiani nominis pari damno & pudore condiderunt. Illarum armis

& superstitionis scelere fœdatus Oriens, ac prosperis euentibus elata barbaries ignauiæ nostræ incubuit: præmiorum pœnarumque ignaræ aut expertes, quas immanissimi domini, non vlciscendæ virtuti, sed ostentandæ potentiæ iniquissimè partiuntur; non insignium monumentorum exemplis, vel institutis militaribus, sed prætoriarũ cohortium barbara vænalique audacia, sæuitiæ diuturnitatem tueri soliti, tantùm timent quantùm timentur; nisi quòd vitæ bonorumq; receptâ sibi potestate, parique subditorum statu, inter æquales & inopes facilè regnant, ijsque artibus crudelem dominationem tuentur, quibus apud alios legitima Regna deperirẽt. Sed præcipuũ in eo seruientis Europæ crimen est, quòd ab ijs durissimum iugum perferat, qui latrocinijs tantùm occupati factique de exuli-

bus Imperatores, diſcordiâ vel perfidiâ noſtrâ victoriarum artes & inſtrumenta didicerunt, nuſquam quieti aut innoxij, niſi cum tot populorum regnorumque domitores, reliquis gentibus, per dedignationem & contemptum, tanquam vili & minore præda abſtinerêt. Nunc tamen domi ſolùm viget tantæ potentiæ terror, ſiue fatali extincto ſidere, & ceſſantibus ventis quibus intumuit, ſiue quiete contenta eſt veterum diſcriminum memor fortitudo; ſiue libidinoſo luxu fluentibus graue eſt domeſticas delicias amouere, & intermiſſam caſtrorum patientiam rurſum experiri, ſiue denique arma noſtra ſuſpiciunt, poſtquam acciſi bellis, attriti cladibus, in ipſos adhuc erigimur, vel mutuò diſſidemus. Nam diſciplinæ militaris in Occidentem iam tranſlatâ notitiâ, indigniſſimâ ſeruitute genus

humanum

humanum exolutum ibat Hispana pubes; iamque noui Orbis diuitias non regium ad luxum, sed mortalium redimendam libertatem conferebat; sed proh nefas! tam pij voti sanctitas passim displicuit, æmulisque potius visum est in ipsorum perniciem sæuitiæ Turcicę vigere robur, quàm Hispanorum vindictâ & opibus, publicam securitatem restitui; eóque vnius primùm Batauiæ, validis auxilijs sancita rebellio, sexaginta ab hinc annis fatigat totius Asię recuperando Imperio suffecturas opes: quæ licèt tot locis sumptibusque dissipatæ, cùm perduellium sociorumque viribus pares aut maiores essent, ne decennali bellorum interuallo & parsimonia in vtrorumque exitium augerentur, nouas rebellionum faces, in Germania nuper accendi placuit; quæ feliciter extinctæ, ite-

rum nouis odijs, maioribuſque viribus excitantur; vt conſpirantibus vbique votis Auſtriacorum potentia ſaltem alicubi frangi & labare poſſit, vel totâ ſui mole inexpugnabilis, per partes tandem cuniculoſque concidere. Maximi liuoris cauſa triplex, acceptæ à Deo potentiæ perennitas, tanti muneris memor cultrixque Religio, & vtrique ſuſtinendæ congruæ opes. Nam penès Hiſpanos virtutum militarium ſummus honor eſt, æquale delictorum odium, ac belli gerendi felix hactenus, & quaſi ſuperûm dono, poſt tantam ſæculorum barbariem relicta cognitio. Laboris & inediæ tolerans natio, quæ cœteræ gentes ambitione vel auaritia, pietate & numinis ductu bella prouocat aut repellit; vel ijs momentis aggreditur, quæ ſinceras apud mentes omni iniurię ſuſpicione

vacare possint. Partorũ tenacissimi, diu pensitata consilia securâ tarditate exequuntur: non depressi damnis, sed lætis euentibus alacres, quos sola virtus & industria sibi arrogat; tristium crimẽ & inuidiam fortuna luit: occasionum properi, nouis tamen rebus vti quàm studere malunt: in gerendis rebus profligandisque bellis, cunctatio placet, nec impetu vel audacia, sed arte & ratione confligitur, eiusdemque artis est vitare damna & inferre; viuidi progressus initiorum moras pensant, quia lentè collecta ira periculi notitiâ firmatur, & duraturo vigore incalescit: rarissimo exemplo media inter arma Dei cultum palàm exercent & ostentant; ac licèt in multa libertate nobilitatisque iactantia, nullas apud gentes maior in Reges suos Ducesque reuerentia est: vrbium arciumque ociosis præsidijs

consenescere, vel diuturnis prælijs absumi parem laudem habet, & præcipuum decus est inter tuta vel ancipitia, obsequij famam promereri; ne victos quidem speciosa verba destituunt, & dignum victoribus supercilium: discriminum nequaquam timidi, socijs auxiliaribusque copijs Romano ex more multa prælia mandare solent, & notis exploratisque hostibus fortiter insistere: peregrini emptique sanguinis iactura vilior est; in commune nocet quidquid ipsis aut adimitur aut perit. Nam tot in Regionibus dominatrix & sparsa gens, multitudine & secunda fortuna sustentari debet, eoque cautius tentare pericula, ne victa bellis aut diminuta cladibus tutandæ potentiæ impar euadat, & infelicibus ex euentis, subditas apud gentes, certissimo defectionis initio contemnatur: terestribus ma-

ritimiſque prælijs boni, peditatu præpollent, equeſtrem aciem vſus animuſque edocuit; aduerſus deditos facili clementia, victis, tanquam potentiæ contemptoribus implacabiliùs iraſcuntur; vtriſque tamen pariter diffiſi, munitarum arcium terrore, quamquam aliàs rebellaturis obſequendi neceſſitatem imponunt: ſubactarum Prouinciarum vrbiumque præſidio exteros aut ſubditos raro dignati, quod ſoli non quæſierunt, ſoli tuentur, & peruigilem eorum contumaciam vix ab ijs locis ſtationibuſque dimoueris quas ſemel inſederint: neque armorum ſolum ius & impreſſio dominationis compotes facit, quæſitis rebus plerumque aſtus inſinuat, & ad iuſtam vim eruptura calliditas: in defendendis obſidendiſque Vrbibus æquè pertinaces; & gloriæ diſcriminumque cupidos, magna

præmia cohortantur, regiosque census æquantes Præfecturæ; nec benemerita tantùm, sed benemeritorum nuda spes apud eos mercedem inuenit, paternæque virtutis fructum vix nati liberi cōsequuntur: illustres familias dignitates augent, modicas perennia commoda & immunitates. Ac veluti tot honores compendiaque sperantibus vitæ castrensis vnus amor est, sic rei familiaris & agrorum, quamquam in fertilissimo solo, nulla penitus aut rara cura: patriæ & liberorum amorem Regis veneratio antecedit, summaque & votis expetita voluptas est, in remotissimas terras regio iussu ablegari, quodque penè inauditum solertissimæ gentis decus est, vasto terrarum marisque spacio dissitis Regulis militibusque, & turè rebellaturis, contumax tamen est in Reges suos & immota fides: erga

ſocios externoſque promptus fauor, parata auxilia; ſed fidiſſimæ humanitatis officia, multorum cauillatur improbitas, quaſi defenſis incumbant aſſertores, & pleriſque contigerit, grauiore damno ſeruari quàm periſſent. Neque ſolis bellorum militumque ſumptibus latiſſimè porrecti imperij prodiguntur opes; ſed magni quoque Principes annuis donis & ſubſidijs deliniti, tantam maieſtatem adorare vel timere diſcunt, & dignitatis in ſpeciem videntur accipere, quod apud alios obſequij pignus aut vectigal eſſet: cumque ipſi pluſquam Eleuſynio ſecreto conſiliorum momenta claudant, alienos ſenſus receſſuſque penetrare, & proditis rebus penè in miraculum vti poſſunt. Atque vt inſignis erga cælites pietas, largitaſque præmiorũ, Hiſpanici ſceptri faſtigium attollit, ſic iuſtitiæ ac diſcipli-

næ ſeueritate ſuſtinetur; non gradus, non ætas remittendis pœnis ſufficit, Tribuni cum militibus, Præfecti cum manipularijs in eamdem ſortem protruduntur: è ſtatione non ignauiâ ſed laſciuiâ incuriaue digredi capitale; nec ſine certâ vitæ iacturâ militaria iuſſa quiſquam protrahit aut recuſat: præter inſitam ex eodem natali ſolo caritatem, ſinceram inter omnes concordiam inducunt capite punita iurgia, & leues rixæ; furta ideo & latrocinia propè incognita ſunt, quia notæ pœnæ, & paupertatis iniuriæ atque ſcelera certiſſimo ſtipendio, vel gratuitis inter ſe donis euitantur. Tot virtutum ope atque præſidio, tam religioſæ diſciplinæ vſu, nouum inuenit ac ſubegit orbem Hiſpana virtus, antiquo grauis eſt, dum creditur imminere, ijſdemque quibus cœlũ ipſum finibus, tanti Imperij terminata vaſti-

tas, vix Romanis creditos nedùm notos Antipodas, felici ditione tenet; vt frementi quamuis inuidiâ exclamari possit, diuersis tot gentium temperandis dirigendisque moribus, solam Hispanorum suffecisse solertiam, & Romano ambitu quæsitâ laude, quacumque sol lucet, Hispanum robur imperare. Quod quia vi & armis iustitiaque subsistit, potentissimi Regis stipendiariæ militiæ iurisdictioni in Germanijs olim præpositus, de virtutum delictorumq; militarium præmio & pœnâ, vetustis ex Annalibus pauca prompsi, rem vt impeditam, sic perutilem iustiore libro executurus, non tam quia scriptis meis erudiri quemquam posse putem, quàm vt humanitatis & clementiæ causam agam, & imperitis constet à sæuitia procul abesse iustitiam; neque ex delictis pœnas, aut ex solis virtutibus

mercedem, sed locis, tẽporibus, casu, consilio, reorum dignitate, numero, causa æstimari. Cuius laboris fructum amplissimum consequar, si æquitatis & iustitiæ professione apud probas peritasque mentes, aut laudatus ero aut excusatus: nam improborum illiteratorumque laudes aut calumniæ ad sollicitudinem meam nunquam pertingent; nec graue fuerit, cum optimo Imperatore, vnum potius seruasse militem, quàm mille hostes occidisse.



FINIS.